



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva


Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639


Nutzungsbedingungen


urn:nbn:de:hbz:466:1-55242




Th. 3280.

9. II
34.







Perfice gressus meos, in semitis tuis. Psal. 16. v. 5.



Semita Perfectionis.

G. H. Schiffen sculps.

SEMITA
PERFECTIONIS
PURGATIVA,
ILLUMINATIVA,
ET UNITIVA,

In suos Passus seu Gressus
Collegij. & distincta : Paderbornae
Pro extirpatione Vitiorum,
& adeptione Virtutum ;
nec non pro materiâ
EXAMINIS PARTICULARIS
perpetuâ , succinctè & clare
descripta ,
Omnibûsque Fidelibus , præsertim
perfectioni deditis , ad decurrentum
proposita ,

à R. P. JOANNE DIRCKINCK,
è Societate JESU.


COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud SERVATIUM NOETHEN,
ANNO MDCCV.

Cum Privilegio S. C. Maj. & Approbatione.

אַתָּה
בְּרוּךְ

לְפָנֶיךָ

) : (3) : (



P R A E F A T I O

Ad Benevolum Lectorem.



I bellum tibi offe-
ro, Lector benevo-
le, exiguum qui-
dem mole; sed non
exiguum, ut spe-
ro, utilitate; quem,
citra jactantiam, perfectionis com-
pendium, librorum asceticorum nu-
cleum, & grandium voluminum me-
dullam nuncupaveris. Hunc jam à
viginti annis animo volvi, pœnitent-
tibusque meis, variis in locis, per
partes, scripto communicavi; ope
examinis particularis, in praxin redi-
gendum: dudumque rogatus sum,

A 2

ut

ut prælo subjicerem, quod ad plurium manus perveniret. Quod hactenus dilatum, nunc tandem est perfectum; non in usum duntaxat Ecclesiastico-rum & Religiosorum, verum etiam Sæcularium; omnes enim tenentur ad perfectionem tendere, ac tripli-cem ejus semitam perambulare: Ec-clesiastici quidem & Religiosi, vi suæ professionis Ecclesiasticæ, aut Religiosæ; Sæculares vero, vi professionis Christianæ. Falsissimam enim esse mundi cæcutientis persuasionem, quâ perfectionem christianam, tan-quam ad Sæculares minimè spectan-trem, ad religiosa solum claustra ab-legandam esse autumat, vel ex ipsis Sacrarum Literarum monumentis aperte convincitur. Quid enim? An non idem Evangelium omnibus Christianis prædicatum est? An non idem Decalogus omnibus præscri-ptus? An non eadem charitatis erga DEUM & proximum lex omnibus pro-

P R A E F A T I O . 5

promulgata & imperata est? Certè
Salvator noster ac Dominus JЕsus
Christus, cùm asseruit: *Estote perfecti,*
sicut Pater vester cælestis perfectus est,
Matth. c. 5. 48. sermonem promiscuè
ad Fideles instituit; omnibúsque,
quotquot filii adoptivi nomine glo-
riantur, Patris cælestis perfectionem
æmulandam proposuit. Ut quid etiam
S. Jacobus Apostolus, & S. Petrus
omnes fideles hortantur, *Ut sint san-
cti, integri, perfecti, in nullo deficientes;*
si ad illos perfectio Christiana non
pertinet? Nónne omnes Christo pla-
cere, omnes ejus amicitiâ perfrui,
omnes ejus vestigia legere, omnes
Orci pœnas effugere, atque in cælesti
beatitudine æternū cum illo gau-
dere desiderant?

Fateor equidem libens, Religiosos,
votorum ac regularum suarum vin-
culis ligatos, arctiori jure, quàm
mundanos, ad perfectionis tramitem
decurrendum constringi; verunta-

A 3 men

men omnium Christianorum una in
hoc est ratio, una perfectionis quæ-
rendæ obligatio: omnes triplicem
perfectionis callem permeare tenen-
tur; nam

1. Tenentur omnes à malo decli-
nare, peccata fugere, vitia proscri-
bere, concupiscentias pravas cohi-
bere, superbiam, avaritiam, gulam,
luxuriam, & reliquias vitiorum pe-
stem abnegare; nisi à regno cælesti,
in quod nihil coinquinatum ingre-
ditur, exulare cupiant.

2. Tenentur omnes animum vir-
tutibus ornare, & fide, spe, charitate,
religione, timore Domini, pruden-
tiâ, justitiâ, temperantiâ, fortitudine,
aliisque virtutum cimelijs excolere;
nisi cum virginibus fatuis, oleo ca-
rentibus, à nuptijs cælestibus velint
excludi.

3. Tenentur omnes Deum super
omnia diligere, proximum sicut se-
metipso amare, si mortem sempiter-
nam

nam optent evadere; nam, *Qui non diligit, manet in morte*, 1. Joan. 3. 14.

Ex his igitur, aliisque, an non clarissime elucescit, Christianis omnibus, summis & imis, religiosis ac mundanis, viris ac feminis ad perfectionem aspirandum esse? Quare hoc, tanquam certo, supposito; unde, obsecro, oritur, tam paucos, in omni Statu, reperiri, qui vitiorum abnegationi serio studeant? Pauciores, qui virtutibus acquirendis sedulo incumbant? Paucissimos, qui ad amorem perfectum, intimaque cum Deo, summo bono suo, unionem aspirent, adeo, ut quamplurimis ne nomina quidem virtutum comperta esse videantur?

Si rem penitus inspiciamus, atque ad fundum penetremus, duplicem miseriæ hujus deplorandæ fontem esse deprehendemus: scilicet cætitatem, seu ignorantiam in intellectu, quâ vitiorum fœditatem, & virtutum

3 P R A X E F A T I O.

pulchritudinem , ac præstantiam
ignorent ; in voluntate autem lan-
guorem , & inappetentiam , quâ has
nec ament , nec desiderent ; Ignoti
enim nulla cupido.

His itaque malis aptissima sugge-
rit remèdia præsens libellus ; dum
vitiorum , & virtutum naturam , at-
que actus exponendo , intellectum
illuminat ; ac pro vitiis extirpandis ,
virtutib[us]que inferendis , motiva
proponendo , voluntatem accedit .

Ne verò in speculazione nuda
sistamus , praxis decla-
randa est .



PRAXIS



PRAXIS ET USUS HUJUS LIBELLI.

I. PRIMO loco textus Scripturæ sacræ, tanquam basis & fundamentum, cui innitaris, proponitur; in quo, tanquam testimonio, ore Dei aut Spiritus sancti prolatu, non dubiam, de vitio eradicando, aut virtute inserendâ, Dei voluntatem legis,

II. Pro cognitione vitii aut virtutis, ejusdem definitio, aut descriptio subtexitur.

III. Adduntur actus vitiorum, & virtutum, ut ordine ab uno ad alium procedatur; neque enim ordinariè integrum vitium, aut virtus pro materia examinis particularis assumitur; sed unus actus aut gradus post alium, vel etiam, quandoque, in facilitioribus, bini aut terni actus simul.

IV. Annexatur consideratio, motiva & incitamenta efficacia complectens; cum vitium detestandi ac mortificandi; cum virtutem estimandi & acquirendi, quæ sèpius ruminanda, meditanda ac perpendenda sunt, ut vehemens vitii detestatio & virtutis amor in corde nascatur.

V. Sequitur, post prædicta, peritio, seu oratio, indies recitanda, pro obtinendo gratiæ dñinæ auxilio; sine quo in vitiis debel-

A, 5 lan-

10 SEMITA PERFECTIONIS.

landis , ac virtutibus comparandis , actum agimus , & frustra laboramus.

VI. Denique adjungitur triplex Aspiratio , ex quibus unam felige ; & modò hanc , modò illam , ad horæ sonum , aut saltem sæpius per decursum diei , tanquam ignitam amoris sagittam in Deum ejaculare ; ut corpus emollias , & quod desideras , impetrare valeas ; nam ex mente SS. Patrum & Asceticarum , ejusmodi aspirationes , suspiria , ac preces jaculatoriæ , mirâ virtute atque energiâ pollent.

VII. Ad extreum , observes velim , quamvis ternæ perfectionis viæ in hoc libello designentur ; seu potius una ad perfectionem , ad cælum , atque ad Deum via , in tres partes divisa , idque pro clariore intelligentiâ ; practicè tamen vias hasce permixtas esse : Nemo enim in hac mortalitate adeo Deo unitus est , ut aliquâ purgatione non egeat ; nemo vitiorum mortificationi insistit , quin eadem operâ virtutis incrementum faciat ; valet enim & hîc dictum Philosophi : Corruptione unius , est generatio alterius . Et illud S. Augustini : Diminutio cupiditatis , est augmentum charitatis .

Atque hæc de praxi & usu hujus Libelli . Quoniam verò in eo amplissima quoque materia Examinis Particularis pro tota vita assignatur , ejusdem praxis breviter expoundenda est .

PRA-

DIC II DIC
P R A X I S

E X A M I N I S P A R T I C U L A R I S.

I. P Ræclarissimum ad omnia vitia debet
landa, & virtutes assequendas, medium
& instrumentum est Examen Particulare, à
S. Ignatio in Libro exercitiorum nobis com-
municatum: quo non omnia diei totius de-
listæ, prout in examine generali solemus, ad
trutinam revocamus; sed particulare aliquod
vitium, aut virtutem particularem animo
inserendam suscipimus; unóque obtento ad
alterum progredimur, donec perfectionis
metam contingamus.

II. Quòd si igitur ad perfectionem seriò
aspires, à peccatis & vitiis mortificandis
auspicare; unumque, quod maximè te in-
festat, ac reliquorum fons est, aggredere;
v. g. superbiam, vel iracundiam, vel gulam.
Universum autem vitium, simul oppugnan-
dum, vide ne sumpseris; sed per partes, sive
gradus, sive actus, inferius designatos.

III. Manè propositum firmum concipe,
hoc peccatum aut vitium strenue abnegan-
di, vel actum virtutis exercendi, & gratiam
Dei eum in finem efflagita.

IV. Horis singulis, ad campanæ sonum;
propositum renova, vitium detestare, aut

actum virtutis contrariæ elice, aut gratiam
vincendi postula, aut ad Deum suspira, quò
aspirationes, passibus singulis adjectæ, ser-
vient.

v. Tentatione vitii exortâ, fortiter resiste,
Dei opem implora, propositum renova;
quòd si verò impegeris, mox peccus percu-
te, dolorēmque elice; ac denuò fortius di-
micare statue.

vi. Si de virtute quapiam (juxta con-
scientiæ tuæ arbitri directionem) examen
instituas, virtutem tibi magis necessariam,
& aliarum scaturiginem felige; actum unum,
post alterum, prout inferius descripti sunt,
exercendum sume: locis singulis, ad cam-
panæ sonum, actum internum, semel, ite-
rūmque, ac postea paulatim sæpius elice: oc-
casione autem sese offerente, externum quo-
que actum adjunge. Atque hac ratione ex-
frequentatis actibus, nascetur habitus vir-
tutis.

vii. Binis in die vicibus, nimirum à me-
ridie, & à cœna, in libello ad hoc speciatim
confecto, & lineolis gradatim longitudine
crescentibus, aut decrescentibus, numerum
præfixum, aut omissionem actus interni, &
datâ occasione, etiam actus externi virtutis,
annota. Si lapsus sis, aut defeceris, dolorem
elice, ac de novo propone; si verò viceris,
aut profeceris, Deo gratias age; deinde diem
cum

cum die, hebdomadem cum hebdomade, mensem cum mense conser, & emendationis rationem ini, cum novis propositis.

VIII. Quanto autem temporis spatio, aut vitio mortificando, aut virtuti assequendæ, inhættere oporteat; tum ex viti radicatione, tum ex fervore, mortificandique studio, aliorumque mediorum sedulo usu pendebit: iudicium idem esto de virtutibus. S. Chrysostomus hom. 26. ad pop. pro extirpanda jurandi consuetudine. unum mensem præscripsit. Et Homil. 24. in Epist. ad Hebr. unicuique virtuti mensem tribuendum censuit. *Hoc mense, ait, patientiam discamus; alio, aliam virtutem.* Tu fortasse, longiore, aut breviore intervallo temporis indigebis. Tunc autem examinis tui materiam mutare poteris, si in multis occasionibus occurrentibus, vitium constanter vincas, & vix, aut ne vix quidem labaris. Simili ratione procedes in virtutibus: si nimis variis occasionibus oblatis, actum virtutis internè & externè constanter exercueris. Plura de his vide in Libro Exercitorum S. Ignatii, in Industriis P. Meyer, P. Lancicio, P. Gaudier, aliisque Ascetis.

Quare utere, mi Lector, non tantum examine particulari; verum etiam presente Libello, in aliorum præsertim librorum defectu, tanquam plurium compendio, levi-

14 SEMITA PERFECTIONIS.

pretio comparando ; & secundum ejus duæ
etum, 1. peccatorum & vitiorum naturam,
turpitudinem, damna, ac pœnas cognoscere,
deinde illa detestari, ac denique oppugnare
& expugnare statue. 2. Virtutum naturam,
nobilitatem, commoda & præmia primò
probè intelligere, deinde eas magni æstima-
re, ac demum acquirere satage; idque opè
examinis particularis, nec non aliorum me-
diorum, infra adductorum. 3. Pari modo,
Deum, ejusque attributa; Christum & ejus
beneficia, cæteraque ad charitatem Dei &
proximi spectantia cognoscere & obtainere,
allabora. Hac viâ, auxilio divinæ gratiæ,
cum Sanctis innumeris, omnis statu, &
sexu, ad culmen perfectionis ascendes; pér-
que scalam Jacob, id est, per gradus scalæ
perfectionis, ad Deum ipsum, scalæ summi-
tati innixum, eluctaberis; & cum illo, tan-
quam fine & principio, ac tanquam summo
bono tuo, in hac vita, unione amorosâ, licet
imperfectâ; in altera verò unione per-
fектâ atque beatâ felicissime
copulaberis.



PRI-

DIC IS DIC



PRIMA
SEMITA
PERFECTIONIS
PURGATIVA,

Peccatorum & vitiorum mortificationes complectens.

Quemadmodum Regi, Principi^e terreno, pro inauguratione, Metropolim regni ingressuro, viæ præparantur, colles planantur, valles æquantur, sentes, veprésque exscinduntur, sordes luteæ, aliisque obstacula removentur, ut facili, jucundoque itinere urbem subeat: ita pariter, cæli terræque Monarchæ, sive is ad animæ nostræ castrum accedat, sive nos ad ipsum, per semitam perfectio- nis tendamus; ante omnia, via purganda, mundanda, & præparanda est, hortan-

16 SEMITA PERFECTIONIS

te ad id magno Christi Prodromo & Baptista Joanne: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus: omnis vallu implebitur, omnis mons & collu humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare DEI. Lucæ c. 3. 5.

Tollenda nimirum vitiorum obliquitas, mitiganda passionum asperitas, corrigenda peccatorum pravitas; mons superbiæ deprimentus, collis inanis gloriæ planandus, vallis timiditatis & pusillanimitatis replenda; quibus rite peractis, videbit omnis caro salutare DEI. Deum scilicet, & Christum Salvatorem nostrum in via illuminativa cognoscet, atque in unitiva amoris intimi complexu stringer. Quod ut assequamur, viam in primis purgativam, in gressus seu passus suos divisam, cognitionis & rationis luce præviâ, fugæ & detestationis, orationis & mortificationis affectibus, tanquam pedibus, decurremus.



I. SE-

I. SEMITÆ PURGATIVÆ
I. PASSUS,
SEU
GRESSUS.

Desiderium perfectionis.

TEXTUS S. SCRIPTURÆ.

*Estote perfecti, sicut Pater
vester cœlestis perfectus est.*

March. c. 5.

Cognitio Perfectionis.

Perfectio, teste S. Ambrosio L. 6. c. 2.
de Jacob, est, *Cui nihil deest. Quan-*
do nimicum amor benevolentiae, erga
Deum & proximum, ad eum statim dedu-
cus est; ut inordinata passionum cupiditare
edomitâ, atque exutis vitiis, expeditus ali-
quis sit ad exercitium omnium virtutum.

Consideratio Motivorum.

Anima christiana, & in primis religiosa,
ut toto conatu ad hanc perfectionem aspi-
res,

18 SEMITA PERFECTIONIS.

res, omniāque media sedulō & constanter adhibeas: moveat te I. Dei O. M. voluntas: *Estate perfecti. Matth. 5. Et: Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. 1. Thess. 4. II. Hoc studium & conatum à te exigit creatio tua ad imaginem Dei: hoc postulat Filius DEI īearnatio, passio & mors; nec non fidei christianæ ac statūs tui professio, recta ratio, & denique præmii cœlestis magnitudo. III. Hæc est vera sapientia, & scientia Sanctorum: Hæc est drachma illa evangelica, quæ felicitatem semper duraturam emimus: Hæc est margarita pretiosa, omnibus mundi gemmis & unionibus infinitè præstantior: hic est thesaurus absconditus: *Thesaurus infinitus hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitia Dei. Sap. c. 7.**

O quis igitur non summè desideret? Quis non omni conatu aspiret? Quis non omnia media pro viribus adhibeat; ut hanc sapientiam, hanc drachmam, hanc margaritam, hunc thesaurum incomparabilem obtineat?

Petitio.

Domine Deus meus, omnis perfectionis fons inexhauste; cùm omnis scientiæ, sapientiæ, disciplinæ & virtutis principiū sit, intimum ejus desiderium: *Initium enim illius est verissima disciplina concupiscentia. Sap. c. 6, 18.* Tam ardens mihi infunde perfe-

ctio-

& ionis desiderium, ut petere, querere, pulsare non definam, donec inveniam.

Aspiraciones.

I. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur, Matth. c. 5. O si in horum beatorum numerum referri merecer!

II. Domine Deus meus, da cordi meo Te desiderare, desiderando querere, quarendo invenire, inveniendo amare. S. August. Med. c. 1.

III. Concede mihi, Domine, famem, sitiisque justitiae; & perfectionis desiderium insatiabile!

PASSUS II.

Fuga peccati lethalis.

TEXTUS.

Tanquam à facie colubri fuge peccatum. Eccli. c. 21.

Cognitio.

QUID est mortale peccatum, nisi actio libera, debitâ rectitudine carens, quâ quis

quis legem se graviter obligantem transgreditur? Ideoque animæ mortem incurrit:
Anima enim, qua peccaverit, ipsa morietur.
 Ezech.c.18.20 Varnis autem modis crimen lethale committitur; transgressione Decalogi & Ecclesiæ præceptorum: violatione votorum; admissione peccatorum capitalium: abusu sensuum & animæ potentiarum: denique omissione obligationum, & delictorum alienorum participatione. Hoc autem ordine perpetratur: præcedit in phantasia, & intellectu objecti repræsentatio; succedit declaratio; sequitur consensus, ac tandem opus: atque ex opere frequentato, peccandi consuetudo inolescit.

Consideratio Motivorum.

Anime mi, ut summo peccati lethalis odio, & horrore percellaris, malitiam ejus ineffabilem, serio & non obiter perpende. I. Peccatum mortale est libera transgressio legis divinæ; est contemptus, injuria, ingratitudo, inobedientia & rebellio contra infinitam Dei majestatem, infinitè supra omnia, æstimabilem: adeoque est malum supra omne malum; est malum, ex quo omne malum: est malum quodammodo infinitum; quia est contra Deum infinitum: cuius intuitu, moribus, pestis, mors, & quidquid à mortalibus censetur malum; umbra duntaxat est mali.

II.

II. Est malum ita defœdans, & conspurcans animam, ut cacodæmonibus evadat similis, Deo & Angelis abominabilis; super carbones denigrata; super serpentes, busones & dracones deturpata; jure regni cœlestis spoliata; à confortio Angelorum & Sanctorum proscripta; atque à facie Dei in æternum projicienda III. Est malum pœnas & tormenta infligens sempiterna: famem, siti, tenebras, lacrymas, ignem, foetorem, vermem, desperationem, lamentationem, & maledictionem perpetuam, nunquam totâ æternitate terminandam.

O cœcitas! ô insania! ô furor! ô rabies diabolica mortalium; tam sœpe, tam libere, tam protervè & audacter peccantium! O Domine! quomodo possum hoc malum facere; & in te Deum meum peccare?

Petitio.

Confige, Domine, timoris & amoris tui jaculo cor meum; ut nunquam voluptatis, honoris, aut lucri temporalis illecebrâ ita excoecari me sinam; ut tanquam filius inobediens, aut servus nequam ac rebellis, præcepta tua transgrediar; sed millies mortem oppetere, millies omnia mundi bona perdere, millies omnia tormenta malim sustinere; quam æquissima mandata tua transiliendo Te ad iracundiam provocare.

Aspi-

Aspirationes.

I. Quomodo possum hoc malum facere,
& peccare in Deum meum? Gen 39. 9.

II. Domine vim patior, responde pro
me: Malo mori, quam fœdari. S. August.

III. Ita me fulci, gratia tua, Domine,
ut omnia malum amittere, & mortem
subire, quam Te Deum meum, peccato
lethali offendere.

PASSUS III.

Fuga peccati venialis.

TEXTUS.

Septies cadet justus, & resurget. Proverb. c. 24. 16.

Cognitio.

PEccatum veniale est transgressio libera
præcepti leviter obligantis, adeoque est
offensa Dei, non tamen talis, ut dissolutio-
nem amicitiae divinæ, & pœnam sempiter-
nam promereatur. Peccatum vero hoc va-
riis modis committitur, ut docet Cassianus
Coll. 20. c. 11. nimirum, ignorantia, obli-
vione, cogitatione, sermone, obreptione,
necessitate, & carnis fragilitate.

Con-

Consideratio Motivorum.

Scio, Domine, à mundi affectis peccatum veniale nihili duci, & instar paleæ, aut festucæ reputari; verum an non me, & quemvis alium, perfectionis cupidum, summo illud studio, devitare oportet? Est enim I. macula animæ, eam defœdans; est velut lumen in candida veste: est velut ulcus in venusta facie: est scabies Deo & Angelis invisa: est culpa, adeò odiosa supremo Numinis, & gloriæ cælesti repugnans, ut quamdiu in anima, licet alias sanctissima, remanet, eandem à patria beata excludat. II. Ejus malitia est tanta, ut pro ea delenda Dominus JESUS sanguinem suum profuderit; nec omnium Sanctorum lacrymæ, pœnitentiæ, martyria & sanguis, per se sola, ad eam abolendam sufficiant. III. Ejus effectus, & pœna omnino pestilens est: cor enim rei creatæ affigit, charitatis fervorem minuit, intellectum obscurat, voluntatem indurat, in exercitio virtutum alacritatem minuit, in oratione & cultu divino gustum ac devotionem tollit; ad peccatum lethale, veluti morbus ad mortem, disponit; & denique gravibus suppliciis, & in hac vita, & in igne purgante plectitur.

Quanto igitur hoc peccatum odio prosequendum? Quo dolore expiandum? Quo studio præcavendum?

Petitio.

Domine Deus meus , omnis puritatis amator , & impuritatis peccati etiam minimi, hostis & osor: Scio, tantam esse peccati venialis malitiam, ut præstet, omnes Angelos interire , homines damnari , Beatos cælo ejici , omnes creaturas in nihilum redigi, quām te Deum meum , peccato vel levissimo offendere. Ac proinde tametsi omnia ista, unico duntaxat veniali peccato , impedire, omnes peccatores sanctificare , omnes damnatos cælo invehere possem , illud tamen nequaquam liceret perpetrare. Quare beatitudinem tuam infinitam rogo, tanto me hujus peccati odio succende ; ut omnia potius mundi tormenta velim tolerare, quām Divinam Majestatem tuam peccato veniali deliberato offendere.

Aspirationes.

I. Præserva me Domine à contemptu venialium peccatorum : nam qui spenit modica , paulatim decidet. Eccli. c. 19.

II. Fac me Domine fugere modica mala: magna siquidem ab illis nascuntur. S. Chrysost. In c. 7. ad Rom.

III. Malo mori , quām DEUM peccato veniali deliberate offendere.

AN-

ANTIDOTA

Præservativa peccatorum, à Sanctis
tradita & usurpata.

- I. Sacramentorum Pœnitentiæ & Euçhristiæ frequentatio.
- II. Cælestium, æternorum, & novissimum
rum meditatio.
- III. Fervens oratio, gratiæ petitio, sancto-
rum Patronorum invocatio.
- IV. Viva præsentia Divinæ recordatio.
- V. Librorum spiritualium lectio.
- VI. Assidua mortificatio, & operum pœ-
nosorum usurpatio.
- VII. Per ascensionem Ignatianam spiritus exer-
citatio & renovatio.
- VIII. Examinis generalis & particularis di-
ligens & constans adhibitio.

ANTIDOTA

Deletiva peccatorum venialium, à
SS. Patribus insinuata, & ab
Ecclesia approbata.

- I. Ratio Dominica, omnibus Christianis à Christo præscripta. S. Aug.

B 2 II.

26 SEMITA PERFECTIONIS.

- II. Tunsio pectoris, à Publicano & aliis usurpata, cùm intimo dolore. S. Ang. Epist. ad Seleucum.
- III. Eleemosynæ largitio, & quilibet fer-vens actus charitatis. S. Aug. Serm. 41. de Sacram.
- IV. Jejunium, & alia castigationes corpo-ris. S. Chrysost. hom. 60. in Gen.
- V. Pœnitentia vel dolor animi, gemitus, lacrymæ, confessio, examen con-scientiæ. Chrysost. l. c.
- VI. Aquæ benedictæ aspersio, cum contri-tione vel dolore. Alexander I. Papa. Et D. Thom. 3. p. q 78. a 3.
- VII. Benedictio ab Episcopo data, & id ge-nus similia, quæ peccata venialia delent.

P A S S U S IV.

Mortificatio Visûs.

T E X T U S .

Ascendit mors per fenestras.
Jerem. c. 9. 21.

Cognitio.

MAgna est oculi & cordis sympathia: ex viu enim facile amor & concupiscen-tia

tia oritur: *Concupiscentia cùm conceperit, patet peccatum & scandalum.* Unde monet Salvator: *Si oculum tuum scandalizare, erue eum.* Matth c.5. v.29. Id est, abnega, mortifica, ne peccatum & animæ mors per fenestras illas intret. Mortificatio autem hujus sensus in eo est sita; ut nihil indecens, nihil ad peccatum irritans, malitiosis, aut curiosis oculis fixè intuearis. Idque 1. in proprio corpore. 2. In alieno, maximè sequoris sexūs. 3. In imaginibus, picturis, statuis. 4. In libris, historicis, poëticis, anatomicis. 5. In comædiis, & tragediis profanis. 6. In mundanis choreis & tripudiis. 7. Denique in variis rebus, in domo, templo, & platea occurrentibus,

Consideratio Motivorum.

Quis, obsecro, oculos, non omni sedulitate custodiat; si tela lethifera per eos in animam immissa, & causata inde vulnera & funera perpendat? 1. Si enim Eva pomum visu pulchrum non fuisset intuita, non fuisset seducta. 2. Si David oculos improvidè in Bethsabeam non conjectisset, anima ejus non fuisset lethaliter sauciata. 3. Si Holofernes à Juditha compta oculos avertisset; non fuisset captus in oculissuis, & capite truncatus. 4. Si Samson à Dalila, Salomon ab Aliénigena, senes depravati à Susanna conspi-

28 SEMITA PERFECTIONIS.

cienda, oculos cohibuscent; nunquam in tale præcipitum corruissent.

O quis igitur sibi non caveat? Non es innocentior Eva; nec Davide sanctior; nec Salomone sapientior, nec Samlone fortior, nec senibus illis nequam, ætate major; & tamen tam oculis liber es. Si sapis: *Averte oculos tuos, ne videant vanitatem.*

Petitio.

Concede mihi, Domine Deus, ejusmodi cum oculis meis fœdus pangere; ut nunquam evagentur ad ea, quæ animæ mortem inferant. Quid enim volo videre, quod non licet habere? Quid volo aspicere vana, speciosa, curiosa, fœda, periculosa, & noxia, quæ cor non satiant; sed turbant: non recreant; sed inquietant, & non raro, instar basilisci, intuitu perimunt.

Da mihi igitur, oculos à vanitate avertere; & ad te Deum meum, omnis pulchritudinis fontem, eosdem elevare; ne unquam deprædentur animam meam, & necem inferant sempiternam.

Aspirationes.

I. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Psal. 118.

II. *Rector mi, averte à me oculorum elationem, & curiositatū pruriginem.* S. Aug. Med. c. I.

III.

III. Tribue mihi, Domine, tam cautè
visum custodire; ut nunquam me ad pec-
candum valeat seducere.

PASSUS V.

Mortificatio Gustus.

TEXTUS.

*Non est Regnum DEI esca
& potus; sed justitia, &
pax, & gaudium in Spi-
ritu Sancto. Rom. c. 14. 17.*

Cognitio.

Gustus, à perfectionis studio, ita frœ-
nandus est; Ut. 1. Voluptas, quæ pe-
dissequa est, necessitatem, quæ domina est,
non præcurrat, & intentionem comedendi
vitiet; sed sequatur, nec queratur. 2. Men-
sæ benedictio & gratiarum actio non negli-
gatur. 3. Dum quis sanus est, cibis commu-
nibus acquiescat, deliciora non appetat. 4.
Nimiam ciborum varietatem fugiat. 5. Ita
comedat, ut non totus comedat. 6. Bolum
unum alterūmve delicatiorem Christo sacri-
ficet.

30 SEMITA PERFECTIONIS,

ficit. 7. In vino sumendo parcus sit: atque extra prandii & cœnæ tempora, nisi causa rationabilis urgeat, nec comedat, nec bibat.

Consideratio Motivorum

Ad gustū saporem & ciborum delicatum dulcedinem spernendam, moveat te. 1. *Vilitas* gustatūs & comedionis, nobis cum brutis communis, ejusdémque finis: delicatores enim cibifcetores & sordes abominabiliores generant. 2. *Brevitas*: tam enim brevis est gulæ voluptas, ut spatio loci, vix sit quatuor digitorum, spatio temporis vix totidem momentorum, inquit Innocentius Papa de Contemp Mundi c. 17. 3. *Pœna acerbitas*: gustus enim vini, Noë generis nostri instauratotem inverecundè detexit. Gen. 9. Gustus Loth duarum filiarum corruptorem effecit. Gen. 19. Gustus Israëlitas in deserto, magna ex parte, morte repentinâ delavit. Num. 11. Gustus Esau jus primogeniturae præripuit. Gen. 25. Gustus filios Heli, Ophni & Phinees, gladio Philistinorum confudit.

O quis igitur gustui suo nimium indulgeat? Quis gulæ irritamenta ambiat? Quis cultrum mortificationis non assidue adhibeat?

Petitio.

Obsecro, Domine, inter hæc, manus tua me

SEMITA PÆRFECTI^NIS. 31

me regat , & gratia tua adjuvet ; ut gustus illecebras , corpori , animæque nocivas constanter refugiam : ac momentaneam , quam in gustandis avium , piscium , & animalium cadaveribus , voluptatem experior , generosè contemnam : quò & in hac vita , gustem , quam suavis sis Domine ; & in altera , torrente voluptatis tuæ exsatier.

Aspirationes.

I. In conviviis , epulisque lautioribus , imple Sapientis monitum , & statue cultum in gutture tuo. Proverb. 23. 3.

II. Pota me torrente voluptatu*rum* tua , ne nil jam mundanorum degustare libeat , venenata dulcedinu. S. Aug. Med. c. 9.

III. Adjuva me , Domine ; ut in cibo potuque non meam voluptatem ; sed tuam voluntatem , viriumque instaurationem , ad gloriam tuam , consector.

PASSUS VI.

Mortificatio Auditūs.

TEXTUS.

Sepi aures tuas spinis ; & lin-
guam

quam nequam noli audire.
Eccli. 28.

Cognitio.

Mortificandus est auditus : & aures spinis timoris Domini , & circumspectionis muniendæ sunt ; ne per eas intrent verba obscœna , amatoria , scurilia , aut hujusmodi cantica . Item verba detractoria , adulatoria , curiosa , vana , aliisque quæ animam vel inficiant , vel graviter saudient .

Consideratio Motiverum.

Eò magis , haud dubiè , studiosissimæ aures obturandæ sunt , quò major est hostium numerus , qui per portas istas introitum in animæ domum moliuntur ; & inquilino aut damnum aut interitum machinantur . Hostes illi sunt , sermones , ut dictum est , obscœni , detractorii , aliquæ noxii ; qui i. Animam maculant , dum limacum instar , viscosa & lubrica post se vestigia relinquunt . ii. Auditores inescant , alliciunt , & seducunt , ad similia profera , discursimque vetitum protrahendum . iii. Non raro , præsertim apud innocentes , vulnus animæ lethiferum infligunt , vitamque spiritualem eripiunt .

O quis

O quis igitur, more serpentum, non
sapiat, atque ad hujusmodi incantationes,
aures obturet?

Petitio.

Concede mihi, Domine, aurium mea-
rum portas, ita spinis timoris Divini &
circumspectionis munire; ut omnem ver-
bis indecentibus, ac noxiis, cæterisque
vanitatibus & augis aditum præcludam;
quò aures meæ ad eloquia divina percipienda melius disponantur.

Aspirationes.

I. Fili mi, si se laetaverint peccatores,
verborum lenociniis, ne acquiescas eis.
Proverb. c. 1,5. 10. Imò ne auscultes qui-
dem.

II. Cave tibi, ne audias, unde ladaris.
S. Bernard. de disc. cast. Molliti enim sunt
sermones ejus, super oleum, & ipsi sunt
jacula. Psal. 54. 22.

III. Sepi, Domine, undique aures
meas spinis; ut linguam nequam nun-
quam libenter audiam!



PASSUS VII.

Mortificatio Odoratus.

TEXTUS.

*In illa die auferet Dominus
olfactoriola ; & erit pro
suavi odore fætor. Isaiæ c. 3.*

Cognitio.

Odoratus , licet inter quinos sensus , innocentior sit , minusque aliis , peccato obnoxius ; falce nihilominus , mortificationis amputandus est , & abnegandus . 1. Ne flores , aliave odorifera gestando nares identidem oblectemus . 2. Ne linteola , interulas , & vestes odoribus perfusas circumferamus . 3. Ne locum habitationis nostræ , suffitu exquisito , suffumigemus . 4. Pro salute animarum , operisve pii necessitate graveolentiam fortiter feramus , nec ob hujus molestiam , opera charitatis refugiamus .

Consideratio Motivorum.

Ad mortificandum odoratum , moveat te 1. Turpitudo hujus sensualitatis ; Turpe enim est viro sapienti & bono , si unguentis oblinium , & floribus coronatus in-

cedat : quod qui facit , utique insipiens .
inepius & nihil est , & quem ne odor qui-
dem virtutis attigerit. Ait Lactantius 6.
Inst. c. 22. Rationem dat S. Chrysostomus
Hom. 4. de Lazaro : Corporis enim & ve-
stium fragantia , arguit intus latere ani-
mum graveolentem & immundum. ii. Præ-
mium : quia pro fœtoris tolerati mole-
stia , succedet odoris cœlestis fragantia.
iii. Supplicium & pœna ; etenim in infer-
no erit pro suavi odore fator & mephi-
tis abominabilis.

Petitio.

Domine JESU , qui fœtorem stabuli &
montis Calvariaz , pro salute nostra to-
lerare dignatus es ; da mihi , amore tui ,
odores suaves contemnere , graveolentiam
fortiter sustinere ; ut in odorem unguen-
torum tuorum currere valeam.

Aspiraciones.

i. In odorem unguentorum tuorum (&
virtutum) curremus. Cant. 1.

ii. Miles es spiritualis : talem vero non
oportet olere unguentum ; sed spirare vir-
tutem : nihil enim immundius anima , quo-
ries corpus talem habet fragrantiam. S.
Chrysost. Hom. 4. de Lazaro.

iii. Utinam mi JESU , nec gratum
fester odorem , nec ingratum refugiam !

PASSUS VIII.

Mortificatio Tactus.

TEXTUS.

*Recedite, recedite, exite inde;
pollutum nolite tangere: exi-
te de medio ejus: mundami-
ni, qui fertis vasa Domini.
Isaiæ c. 52. 11.*

Cognitio.

Sensus tactus diligentissimè omnium co-
hibendus & mortificandus. 1. Quoad
attactum corporis proprii. 2. Corporis
alieni, etiam in partibus honestis, ut
facie, manu. 3. Quoad vestes molliores.
4. Castigandus quoque est operibus pœ-
nitentiæ.

Consideratio Motivorum.

Ad sensus hujus mortificationem te
permoveat 1. Exemplum Christi Domini,
cujus oculi sputis, aures blasphemis, na-
res foctoribus, gustus felle, tactus fla-
gris, spinis, clavis, cruciati sunt; & tu-
de-

delicatule, sensibus blanda requiras, aspera fugias ? II. Absterreat te periculum peccati ; cum sensus hic omnium , teste experientia, sit pericolosissimus. III. Vrulentia & blanda saevitia : ut enim scribit S. Basilus : *Tactus est omnium sensuum pernicioſiſſimus, & ſeuiſſimè blandiens;* sensusque reliquos ad voluptatis illecebras pelliciens . toto corpore diffusus , & per omnem ejus superficiem , aduersus animam ſavè dominatur.

Petitio.

Rogo Te, Domine JESU, per sacra-
sancta Vulnera tua, concede mihi , sen-
sum tactus ita frœnare & castigare ; ut
nunquam contra Spiritum rebellet ; & in
ignis inextinguibilis periculum me con-
jiciat.

Aspiraciones.

I. *Noli me tangere.* Joan. C. 50.

II. *Recede à me mulier, adhuc igniculus vivit, tolle paleam.* S. Gregorius L. 14.
Dial. c. II. de S. Ursicino Presbytero mo-
tiente.

III. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. c. 13. v. 1.

PASSUS IX.

Mortificatio oris , manuum,
pedum , & aliorum mem-
brorum.

TEXTUS.

*Sicut exhibuisti membra ve-
stra servire immunditiæ, &
iniquitati ad iniquitatem: ita
nunc exhibete membra ve-
stra servire justitiæ ad san-
ctificationem. Rom.6. 19.*

Cognitio.

Corporis membra in his abneganda
& mortificanda sunt : 1. Ne ea , quæ
ad Deo serviendum concessa sunt orga-
na , ad ejus offenditam , adhibeantur in-
strumenta. 2. Ne membrum unum , al-
terius fungatur officio. 3. Cachinni , cla-
mores , gesticulationes , & mores indecen-
tes caveantur. 4. Plurima alia , modestiæ &
decoro repugnantia evitentur.

Con-

Consideratio motivorum.

Ad hanc mortificationem impellat te,

- I. Amor modestiae, non solum personis religiosis, verum etiam honestis quibus cunque conveniens. II. Gratitudo; manus enim Domini plasmavit te; pelle & carne vestivit te; ossibus & nervis compedit te; manibus & pedibus, oculis & labiis instruxit te, ad sibi serviendum; quidni igitur ea gloriae divinae doveas?
- III. Magnitudo beneficiorum, in membrorum concessione collatorum: quanta enim singula sint dona, ex carentia singularum deprehendes; si enim oculos, manus, aut pedes amissos, recuperare posses, quam auri, argentique summam, non libens impenderes? An non igitur insignis ingratitudinis nota est, ea ad peccandum, Benefactorumque liberalissimum offendendum usurpare?

Petitio.

Largire mihi, Creator mihi, omnia corporis mei membra ita mortificare, ita gubernare; ut semper, in silentio & locutione, in sessione & statione, in ambulatione & motione, in bibitione & comeditione, aliave quavis actione, morum honestatem eximiam, compositionem ex-

& am,

40 SEMITA PERFECTIONIS.

Etiam , decoram urbanitatem ac modestiam singularem prae me feram , ad gustum & beneplacitum tuum ; nihilque admittam , quo oculos tue Majestatis offendam .

Aspirations.

I. Mortificate membra vestra , qua sunt super terram . Ad Coloss. c. 3.

II. In ipso motu , gestu , incessu , tenenda verecundia . S. Ambros. L. I. Offic. c. 18.

III. Da mihi , Domine , ita membra omnia regere & gubernare , ut proximis exemplum , oculis tuis spectaculum amœnum exhibeam .

P A S S U S X.

Mortificatio Abusus Linguæ,
In pronuntiando toties , absque reverentia , SS. JESU nomine .

T E X T U S .

*Non assumes nomen Domini
DEI tui in vanum. Exo-
di c. 20.*

Cogni-

Cognitio.

MAgnum & vulgaris abusus est, ad quælibet dicta, absque reverentia, ex mala consuetudine, sacrosanctum DEI aut JESU nomen pronuntiare; ideoque ope examinis particularis, inolita ejusmodi consuetudo abolenda est; additâ pro majore efficacia, quoties deliqueris, nonnullâ oratione, cleemosynâ, aliâve pœnâ.

Consideratio motivorum.

Ad vulgare illud cacoëthes abolendum, moveat te 1. Prohibitio Supremi Numinis; à quo id vetitum: *Non assumes nomen Domini DEI tui.* 2. Pœnæ comminatio: *Nec enim insontem habebit Dominus eum,* qui assumperit nomen Domini DEI sui frustra. Exodi c. 20. 7. 3. Ipsa denique indecentia: nomen enim Dei excelsum est & admirabile, sanctum & terribile. Nomen verò JESU dulce quidem est & amabile; sed simul honorabile & excelsum, ac super omne nomen elevatum, in quo omne genu flectitur. Quæ igitur indecentia, quæ inurbanitas est, tale ac tantum nomen, ad res quasvis frivolas in vanum assumere, quod nomine tuo fieri, ægrè ferres?

Petitio.

Domine Deus magne & omnipotens:
qui

qui in monte Sinai , non absque populi pavore, nomen sanctum tuum, in vanum assumi vevisti : gratiam mihi uberem concede ; ut nunquam deinceps nomen tuum absque necessitate & reverentia proferam ; atque ita pœnam transgressoribus intentatam effugiam.

Aspirationes.

I. Sanctum & terribile nomen Ejus.
Psal. 110. 9.

II. JESU dulcedo cordium,
Fons vivus , lumen mentium,
Mel , nectar , melos aurium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium !

III. Utinam , mi JESU , nomen tuum
ineffabile , nunquam in vanum assume-
rem !

PASSUS XI.

Fuga Mendacii.

TEXTUS.

*Noli velle mentiri omne men-
daciūm. Eccli. c. 7.*

Cogni-

Cognitio.

Mendacium est locutio contra mentem; dum aliter loqueris, aliter sentis. Estque triplex, jocosum, officiosum, nocivum; quæ omnia peccata sunt, licet alterum altero sit gravius.

Consideratio Motivorum.

Ad mendacium omne, studio singulari cavendum, moveat te I. Mendacii author, scilicet diabolus, qui est pater & primus author mendacii. Joan. c. 8. Et mendaces ex patre diabolo sunt, filiique diaboli, non naturâ, sed imitatione; non carnis successione, sed criminis, ut loquitur S. Epiphanius Hæresi 38. & S. Ambros. in Luc. II. Mendacii damnum; mendax enim proximum fallit, fidem apud ipsum amittit, commercio humano officit; & si mendacium cum damno gravi connexum est; *Animam occidit.* Sap. i. ii. III. Mendacii venenum & malitia; quæ tanta est; ut licet totum mundum lucrari valeres, neutiquam tamen proferendum esset: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Ad Rom. 3. 8.

Petitio.

O suprema Veritas, tantum mihi impetrare veritatis amorem, & odium mendaci-

dacii, ut nunquam, aut joci gratiâ, aut
damni metu, aut lucri spe, aut pœnæ
timore, à veritate deflectam, aliudque
ore proferam, ac corde sentiam.

Aspirationes.

I. Fuge lingua mea, mendacium: Os
enim, quod menit, occidit animam. Sap.
c. i. ii.

II. O quantopere mihi cavendum est
omne mendacium; quia scriptum est: per-
des omnes, qui loquuntur mendacium. S.
Gregor. L. 18. Moral. c. 2.

III. O æterna Veritas! Nunquam ex
ore meo prodeat mendacium, & fal-
sitas!

PASSUS XII.

Mortificatio consuetudinis jurandi.

TEXTUS.

*Ego autem dico vobis, non ju-
rare omnino: sit autem ser-
mo vester est, est; non, non:
quod*

*quod autem abundantius est,
à malo est. Matth. 5.*

Cognitio.

Juramentum est invocatio tacita vel expressa Numinis Divini, tanquam primæ & infallibilis Veritatis, in testem aliquis rei. Quod ut debitè ac licitè fiat, necesse est, ut fiat *in judicio, justitia, & veritate.* 1. *In judicio*, id est cum discrezione, prudentia, consideratione & reverentia. 2. *In justitia*: Ut sit de re justa, licita, & honesta. 3. *In veritate*: Ut res sit veritati consona. Hæc tria si desint, jurare non licet; ac proinde consuetudo tam crebro jurandi penitus proscribenda est.

Consideratio Motivorum.

A pessima jurandi consuetudine ac temeritate, retrahat te. 1. Pœna æterna, indicata ab Apostolo Jacobo in Epist. c. 5. 12. *Ante omnia fratres mei nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum, ut non sub iudicio decidatis.* Id est ut non incidatis in condemnationem æternam, dum ex frequentia jurandi inciditis in perjurium. II. Pœna temporalis: nam juriavit Saul se occisorum Jonatham, & quan-

ta ex eo perjuria; dum juravit populus, se id non permisurum? Juravit Jephthe, se occisurum, quod primò occurreret; & unigenita occurrit filia: at quanto cum dolore & pœnitentia? Juravit Herodes se Herodiadis filiæ daturum, quidquid petitura esset: petivit caput Joannis Baptistæ, & obtinuit; at quanto cum dolore, crudelitate, & homicidiū atrocitate? O quis igitur temerè jurare, non perhorrescat?

Petitio.

Cùm tua, Domine, Majestas jurare venterit, fac ut linguam meam ita à jurementis cohíbeam, ut temerè jurantium & pejerantium supplicia evadam.

Aspirationes.

I. Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Eccli. 23. 9.

II. Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret; tantúsque in te sit veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putas. S. Hieronym. Epist. 24. ad Celant.

III. Pone Domine, ori meo custodiam, ut pessimam jurandi consuetudinem dediscam.

PAS-

PASSUS XIII.

Mortificatio & fuga detractionis.

TEXTUS.

Non eris criminator , nec suffro in populo. Levit. c. 19. 16.

Cognitio.

Detractione est alienæ famæ injusta violatio vel denigratio. Quod vitium, pro dolor ! admodum commune est , & per omnia hominum genera grassatur : habetque annexum onus , famam ablatam restituendi : non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum , ut ait S. Augustinus Epist. 54. ad Macedon. At quanta in hoc difficultas ? Et quotus quisque obligationi suæ respondet , ac famam ablatam restituit ?

Consideratio motivorum.

Quis non summo contendat studio , ut detractoribus non accenseatur ? Sunt enim

C i. Deo

48 SEMITA PERFECTIONIS.

1. Deo ingrati & invisi : Detractores Deo
odibiles. Rom. c. 1. II. Sunt à DEO
maledicti : Detractores enim , susurrones ,
& bilingues maledicti. Eccli. c. 28. III.
Sunt proditores , hostes in castrum Domini
introducentes , discordias inter fratres semi-
naries , & scandala nutrientes. S. Ber-
nard. serm. 3. de dedic. IV. Sunt serpen-
tes, venenum evomentes mortiferum. Lin-
guæ eorum est vipera . & lancea acutissima ;
qua tres interficiat flatu uno : &
illius percutiens conscientiam , (qui auscul-
tat) & istius vulnerans charitatem , (qui
patitur) & seipsum perimens. S. Bern. de
tripl. cust. V. Sunt Damonibus pares , &
fortè pejores , cum nullus diabolus alteri
deceperat. S. Chrysost. hom. 44. O quis
igitur hoc malum non cane pejus & angue
deviteret ?

Petitio.

Adsit mihi , Domine , efficax gratia
tua , ut hoc vitium adeò mortalibus com-
mune , omnibus viribus subterfugiam ; &
cum innumeris aliis in hoc malitiæ bar-
athrum non incidam , eternumque peream .

Aspiraciones.

I. Injice , Domine , frœnum ori meo,
ne unquam ulli mortaliū detrahām: Nam ,
Abo-

SEMITA PERFECTIONIS. 49

Abominatio hominum detractor. Proverb.
C. 24. 9.

II. *Cave, ut aut lingham, aut aures
habeas prurientes: id est, aut ipse alius de-
trahas, aut alios audias detrahentes.* S,
Hieron. ad Nepot. Epist. 8.

III. *Manus tua, Domine, me retrahat
ac teneat, ne in Satanicum detractio-
num barathrum incidam.* S. Chrysostom.
ad pop.

P A S S U S XIV.

Mortificatio & Fuga aliorum
linguæ viciorum.

T E X T U S.

*Qui custodit os suum, custodit
animam suam: qui autem
inconsideratus est ad loquen-
dum, sentiet mala.* Proverb.
C. 13. 3.

Cognitio.

RElqua linguæ vitia, ope examinis par-
ticularis, cum primis mortificanda,
sunt contentio, calumnia, duplicitas, gar-
C 2 su-

50 SEMITA PERFECTIONIS.

rulitas , mordacitas , adulatio , imprecatio , secretorum revelatio , murmuratio , susuratio , & contemptus aliorum .

Consideratio motivorum.

Quandoquidem maxima est linguam ritè gubernandi difficultas ; ei maximam quoque vigilantiam & custodiam adhibendam esse , quis non videt ? *Linguam nemo hominum domare potest* , ait S. Jacobus c. 5. v. 8. utpote , quæ est *inquietum malum , universitas iniquitatis , plena veneno mortifero*. Quis igitur sibi fidat ? Displacent autem & repugnant peccata linguae i. Deo Patri , qui membrum illud ad se laudandum nobis concessit , & nos illo abutimur. Illo , ut inquit idem S. Jacobus , Deo benedicimus , & proximo maledicimus , qui ad imaginem DEI factus est. ii. Repugnant & displacent DEI Filio , qui toties in SS. Eucharistiae Sacramento linguam nostram tangit , & sanctificat ; quam nos toties rursum profanamus. iii. Repugnant ac displacent Spiritui Sancto , qui super Apostolos in forma linguae igneæ apparuit. O quam ergo malum est , & noxium , non custodire linguam suam ?

Petitio.

Domine , cujus est gubernare linguam ,
pone

SEMITA PERFECTIONIS. 51

pone custodiam ori meo , & ostium circumstantiæ labiis meis , ut non declinet cor meum in verba malitiæ ; quibus Patrem , & Filium , & Spiritum sanctum offendam , eisque displiceam.

Aspirationes.

I. Verbis eius facito statuam , & frœnos ori tuo rectos : & attende , ne forte labaris in lingua. Eccli. c. 28. 29.

II. Domine refugium meum : da quod jubes . & jube quod vis . Tu nōsti de hac re geminum cordus mei , & flumina oculorum meorum . Ait S. Augustinus L. 10. Conf. loquens de linguae continentia.

III. Dixi , custodiam vias meas , ut non delinquam in lingua mea. Psal. 38.

P A S S U S XV.

De Mortificatione Superbiæ.

T E X T U S.

Superbiæ nunquam in sensu tuo dominari permittas : ab ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Tob. c. 4. 14.

Cognitio.

Superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae. D. Thomas. Actus vero superbiæ, mediante Examine particulari, mortificandi per partes, sunt sequentes:

Actus Superbiæ.

1. Humanas laudes inordinate appetere, iisque vanè delectari.
2. Seipsum, & opera sua vanè laudare.
3. Honores & dignitates inordinate appetere.
4. Sanctitatem & justitiam, famæ auctoritatem gratiâ, simulare.
5. Insolenter sibi attribuere, quæ non convenient.
6. Mente inaniter & superbè intumescere.
7. Elato corde supra vires aliquid attentare.
8. Alios arroganter contemnere.
9. Suo judicio & consilio plus æquo & pertinaciter adhærere.
10. Discordias cum aliis gerere & fovere.
11. Nolle se aliis subjicere & obedire.
12. Acceptum beneficium, elato animo, extenuare, contemnere, oblivisci.

Consideratio motivorum.

Quis superbè intumescere audeat, si su-

superborum supplicia expendat? Superbia enim Luciferum è cælo præcipitat: Nabuchodonosorem regno privat, bestiisque assimilat: Davidis populum numerantis, regnum gravissimâ pestilentia devastat. Superbia, inquit Innocentius Papa de vilit. cond. hum. turrim everuit, linguam confundit, prostravit Goliath, suspendit Aman; interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, & Sennacherib intermit. Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & radices gentium superbarum arefecit. O quis igitur fastum comprimere non satagat? Quis Deum, superbis resistenter, non timeat?

Petitio.

Concede mihi, omnipotens DEUS, ut superbiam nunquam in corde meo dominari permittam; ne fastum cum elatis in æternitate infelici deplorem; exclamans: Quid profuit nobis superbia, aut diviciarum jactantia quid contulit nobis? Transferunt omnia illa tanquam umbra. Sap. c. 5. 8.

Aspiraciones.

I. Deus superbis resistit, humilius autem dat gratiam. Jacobi c. 4.

II. Redemptor meus, expelle à me spiritum
C 4 ium

54 SEMITA PERFECTIONIS.

rum superbia, & concede propitiis thesaurum
humilitatis tuae. S. August. Med. c. i.

III. Quid superbis terra & cinis? Eccli.
10. An nescis, quod sis miser & miserabilis,
& pauper, & cœcus, & nudus?

P A S S U S XVI.

Mortificatio vanæ gloriæ.

T E X T U S .

*Non glorietur sapiens in sapien-
tia sua: & non glorietur for-
tis in fortitudine sua: & non
glorietur dives in divitiis
suis: sed in hoc glorietur, qui
gloriatur, scire & nosse Me.
Jerem. c. 9. 23.*

Cognitio.

*C*Enodoxia, seu vana gloria est inordina-
tus gloriæ appetitus; gloria autem
nihil est aliud, quam clara & bona alio-
rum de nobis notitia seu aestimatio: quæ
si interius subsistit, fama nuncupatur; si
verbis proditur, laus dicitur; si aliis signis

ex-

SEMITA PERFECTIONIS. 55

exterioribus manifestetur, honor appellatur.

Actus vanæ gloriæ.

1. Facta ac dicta sua, plus quam oportet, æstimare.
2. In operibus aut dictis suis sibi complacere.
3. Ut ea ab aliis quoque cognoscantur & æstimentur, desiderare.
4. Ut hæc æstimatio exterius etiam prodatur, & verbis manifestetur, optare.
5. Variis actibus, modisque, hanc aliorum de factis suis æstimationem venari.
6. Etiam verbis propriis eadem deprædicare: & hæc deprædicatio propriè nominatur jactantia.

Consideratio Motivorum.

Quis vanam gloriam non toto corde aversetur & fugiat: si perpendat, quod illa sit I. Furtum, debitum Deo honorem afferens, & sibi illum vendicans. II. Mendacium & stultitia; cum sciens, se esse vermiculum, atomum, nihilum, omni contemptu dignissimum; & nihilominus laudem humanam appetit. III. Venum opera inficiens, & meritum premiumque cælestē adimens. Unde monet Salvator:

C s vator:

36 SEMITA PERFECTIONIS.

vator: Attende, ne iustitiam vestram facias coram hominibus, ut videamini ab his, alioquin mercedem non habebitis apud Parrem vestrum, qui in calo est. Matth. c. 6. Et S. Basilus Const. Monast. c. 10. ait: Inanis gloria est dulcis spiritualium operum exfoliatrix, jucundus animarum hostis, blandissima bonorum nostrorum depradatrix; eademque mellis illitus, fraudis sua colocatrix, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectrix. O quis tam cæcus & stolidus, ut hoc veneno, hoc poculo se ingurgitet?

Petitio.

Amove à me, Domine, cœcitatem & stoliditatem istam; ne unquam umbram honoris, veritati; gloriolam brevissimam, gloriæ æternitati anteponam; & præmia sempiterna pro re vilissima vendam; sed divinam gloriam tuam unicè semper intendam. Tibi enim Regi sæculorum immortali & invisibili, soli Deo, honor & gloria.

Aspiraciones.

I. Quid habes, quod non acceperisti? si autem acceperisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Corinth. 4. 7.

II. O insipiens, quid tibi prodest hominum memoria, (sc inanis gloria) si ubi es,

tor-

S E M I T A P E R F E C T I O N I S . 57

torqueris. & ubi non es, laudaris. S. Chrysost. in Matth.

III. Humillime JEsu: hâc gratiâ bearri
opto animitus ; ut nunquam efficiar in anis
gloriæ cupidus.

P A S S U S X V I I .

Mortificatio Avaritiæ.

T E X T U S .

*Avaritia nec nominetur in
vobis , sicut decet Sanctos.
Ephes. c. 5. 3.*

Cognitio.

AVaritia est inordinatus appetitus habendi divitias. Continet autem binas species : prima bonis alienis acquirendis immoderatè inhiat ; secunda bonis propriis, ultra rationis præscriptum incumbit.

Actus.

1. Nimiam de divitiis estimationem concepire.
2. Assiduum divitarum desiderium in pectore fovere.

58 SEMITA PERFECTIONIS.

3. Superfluas curas de divitiis coacervandis suscipere.
4. Varias artes, modosque illicitos, divitias acquirendi, excogitare.
5. Aliis mercedem, aut debitorum solutionem denegare.
6. Etiam sibi ipsi sustentationem debitam subtrahere.
7. Erga egenos, miserisque cor obduratum gerere.

Consideratio Motivorum.

Cum Spiritus Sanctus, in sacris Paginis, tot in avaros fulmina contorqueat, quis avaritiae cor suum mancipare presumat? I. Fulmen est, horrendum vero: *Va vobis divibus*, qui habetis hic consolationem vestram, Lucæ c. 6. II. Fulmen est iniquitatis denuntiatio: *Avaro nihil est scelestius*. Eccli. c. 10. Et: *Radix omnium malorum est cupiditas*. Nihil enim iniquius est, quam amare pecuniam: *hic enim & animam suam vanalem habet*. Eccli. c. 10. III. Fulmen est, salutis difficultas, & damnationis æternæ periculum ac facilitas. Facilius est camelum per foramen acus transire; quam divitem intrare in regnum cœlorum. Matth. c. 19. Nam qui volunt divites fieri, incident in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, qua mergunt hominem in-

interitum , & perditionem. 1. Tim. c. 6.
Vbi sunt , qui argentum thesaurizant , in
quo confidunt homines ? Exterminati sunt ,
& ad inferos descenderunt. O quis igitur
non contremiscat ? Quis hoc præcipitium
non fugiat ?

Petitio.

Thesaurus & opulentia mea Deus , da
mihi , divitiæ si affluant , cor non appo-
nere ; aliena non appetere , propria non
inordinate amare , curas superfluas depone-
re , debita solvere , erga inopes & miseros ,
mitem & largum me exhibere ; ut thesau-
ros cœlestes acquiram copiosius , & Te
Deum meum beatius possideam.

Affpirationes.

I. Videte & cavete ab omni avaritia.
Lucæ c. 12. 15.

II. Omnis copia , qua Deus meus non est ,
egestas mihi est. S. Aug. Med. c. 18.

III. Extingue in me , Domine , in-
ordinatam cupiditatem bonorum tempo-
ralium : & æternorum insatiabile suc-
cende desiderium !

PASSUS XVIII.

Mortificatio Luxuriæ.

TEXTUS.

*Si secundum carnem vixeritis,
moriemini; si autem Spiritu
facta carnis mortificaveritis,
vivetis. Rom. 8. v. 13.*

Cognitio.

LUXURIA est inordinatus appetitus venereorum. D. Thom. 2. 2. q. 259. Cujus actus mortificationis falce praecidendi sunt sequentes :

1. Cogitationes pravas sovere; absque delectatione morosa.
2. Morosa in cogitationibus impuris delectatio.
3. Consensus simplex in opus luxuriosum.
4. Aspectus libidinosus.
5. Verborum impudicorum prolatione.
6. Oscula impudica.
7. Tactus & amplexus impudicus.
8. Ipsius operis turpis & nefandi consummatio.

9. Con-

9. Consuetudo operis luxuriosi : unde quædam quasi necessitas ex frequen-
tatione oritur.

Consideratio Motivorum.

O justissime scelerum carnalium vindicta Deus ! Si quis justitiae tuæ rigorem , tam atrociter crima hæc plectentem , conside-
ret ; quis non toto corpore perhorrescat ? I. Hoc enim scelus Pentapolim cum adja-
cente regione , igneo sulphure , evertit.
Gen. 17. Sichem cum populo interemit.
Isai. 34. Raptoreis Dinæ Her, & Onam per-
cussit. Ibid. 38. Judæum libidinosum , &
Madianitidem pugione confudit. Num. 15.
Tribum Benjamin delevit. 1. Reg. 2. Filios
Heli sacerdotis in bello prostravit. 2. Reg.
11. Amon interfecit , Vriam occidit , Ru-
ben maledixit , Samsonem seduxit , Salo-
monem pervertit. O quis ad tam horrenda
supplicia non metuat ? Quis ad vitii hujs
dominatum ac tyrannidem non expavescat ? II. Hoc namque vitium , omnem ætatem
corrumpit , omnem sexum confundit ,
omnem ordinem solvit , omnem gradum
pervertit : invadit enim senes & juvenes,
mares & foeminas , prudentes & simplices,
superiores & inferiores , atque etiam , prô
dolor ! sacerdotes. Ut lamentatur Inno-
centius Papa de vilit. cond. hum. L. 2. c. 22.

& 23.

& 23. III. O quis igitur non exclamet cum S. Hieronymo: O ignis infernalis luxuria! Cujus materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla prava colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna. Hieron. in epist.

Petitio.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitorum nostrorum flamas extinguere, sensuum portas cautissimè custodire: summatam in phantasiis, cogitationibus, desideriis, affectibus, verbis, colloquiis, conversationibus, amicitiis, & operibus puritatem sectari; ut vitii hujus tyrannidem evadere, & incendia superare valeamus; ne cum tot hominum millionibus, ob hoc vitium damnatis, flammis sempiternis exuramur.

Aspiraciones.

I. *Omnis immunditia, ne nominetur in vobis.* Ad Ephes. c. 5. 3.

II. *Rex meus, extingue in me desideria carnis, & accende ignem tui amoris.* S. August. Med. c. 1.

III. *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.*

P A S S U S XIX.

Mortificatio Invidiæ.

T E X T U S .

Deponentes igitur omnem malitiam, simulationes & invidias. 1. Petri c. 2. 1.

Cognitio.

Invidia est tristitia de bono alterius, in quantum aestimatur diminuere propriam gloriam: Cujus actus Examine particulari supprimendi, sunt sequentes:

1. Tristari & indignari de bonis alterius.
2. Lætari de alterius malis.
3. Bona aliorum silentio involvere.
4. Manifestam aliorum virtutem calumniari.
5. Aliorum opera bona impedire.

Consideratio Motivorum.

Quām virulentum, ac pestiferum malum sit invidia, quis verbis dignè expresserit? Nam I. Invidia diaboli primos parentes nostros seduxit, Abelem interemit,

Sau-

64 SEMITĀ PERFECTIONIS.

Saülem ad Davidis necem instigavit, Christum Dominum, per Pontifices, morti adjudicavit. II. Invidia, ut docet S. Cyprianus serm. de zelo & livore, *Est radix malorum omnium, fons cladi, seminarium delictorum, serpentus praeceptum.* O igitur malum virulentum ! III. Invidia, ex mente S. Basilii hom. II. est diaboli inventum, pietatis impedimentum, via ad gehennam, privatio regni cælorum, interitus vitæ, pestis naturæ adversa omnibus bonis ex Deo provenientibus ; demum ipsi D E O contraria. O malum pestiferum ! O toxicum serpentinum !

Petitio.

Domine Deus meus, charitatis fons, & origo bonitatis : hunc mihi dilectionis proximi gradum concede, ut omni livoris peste caream ; & hereditatem illam, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus una est, & singulis tota, unicè diligam.

Aspiraciones.

I. *An oculus rums nequam est, quia ego bonus sum ?* Matth. c. 20. 15.

II. *Rector meus, amove à me zeli livorem, contentionis ardorem, & invidia rubiginem.* S. Aug. Med. c. i.

III.

III. Salvator mi , libera me à rancore
invidiæ , ut replear charitatis Tuæ dul-
cedine.

P A S S U S XX.

Mortificatio Gulæ.

T E X T U S .

*Attendite , ne forte graventur
corda vestra , in crapula &
ebrietate. Lucæ c. 21. 34.*

Cognitio.

Gula est inordinatus appetitus alimenti,
qui quinos excessus seu actus com-
pletitur.

1. In quantitate , nimium cibi & potūs sumendo , excedere.
2. In qualitate , nimis lautum ac delicatum cibum , potūmque appetere.
3. In tempore : ante & extra consuetam horam , edere & bibere.
4. In modo : nimiā aviditate & ardore , alimentum sumere.
5. In condimento : esculenta nimis stu- diosè & exquisitè præparata desiderare.

Con-

Consideratio motivorum.

Qui gulæ damna æquè, ac supplicia crebrò ad mentis trutinam revocaverit, facilè sibi frœnum injecerit. Oritur enim ex ea I. In anima inepta lœtitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo intellectus, tædium orationis, ac dissolutio. II. In corpore, pigritia, somnolentia, podagra, chiragra, colica, cachexia, plethora, rheumata, omnium morborum turma, ac denique mors accelerata. III. In utroque Gula, inquit Innocentius Papa de vilit, cond. hum. *Paradisum clausit, primogenita vendidit, suspendit Pistorem, decollavit Baptistam, Nabuzardan Princeps quoq[ue]rum, templum incendit, & Ierusalem totam everit. Balthasar inter epulas, manum scribentis vidit: & eadem nocte peremptus est à Chaldais.* Cave igitur tibi, & pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.

Petitio.

Quis est, Domine, qui non aliquando rapiatur extra necessitatis limites? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum; ego verò non sum ille. Quare ad Te confugo, & peto suppliciter, fragilitatem meam corroboro, ut nunquam in cibo potuque excedendo, corpus gravem; nunquam lauitias

titias quæram , appetitūs æstum nunquam non moderer , tempus observem , alios non plūs æquo invitem , multò minùs cogam ad edendum vel bibendum ; ne cum epulone divite , ad famem sitimque perpetuam condemner , & inter gehennæ flamas sepultus , aquæ guttulam frustrè effagitem.

Aspirationes.

I. *Noli avidus esse in omni epulatione , & non effundas te super omnem escam.*
Eccli. 37. 12.

II. *Averte à me, Domine , oris scurrilitatem , & ventris ingluviem.* S. Aug.
Med. c. i.

III. *Utinam , mi JESU , nunquam in cibo , potuque sumendo excederem ; sed semper ad alimenta , tanquam ad medicamenta accederem.*

PASSUS XXI.

Mortificatio Iræ.

TEXTUS.

Omnis amaritudo , & ira , & indignatio tollatur à vobis.
Ephes. c. 4. 31.

Cogni-

Cognitio.

IRACUNDIA , seu ira est inordinatus appetitus vindictæ , ut docet D. Thomas 2. 2. q. 46. a. 2. Actus verò ope examinis particularis abolendi sunt.

1. Indignatio. 2. Tumor mentis. 3. Clamor. 4. Verba injuriosa. 5. Facta injuriosa & nocimenta. Comites & asseclæ iram commitari aut subsequi soliti sunt : dissidentia, vindicta, odium, gaudium de malo proximi, voluptas de vindicta ; verba vindictam spirantia & minæ, obmurmurations, increpationes, contentiones, rixæ, altercationes, contumeliæ, blasphemiae, læsiones ac damna ; quæ omnia , radice evulsâ, eliminantur.

Consideratio.

Perpende anima mea , damna & effectus, iracundiæ , ut ad ea avertenda exciteris. Enumerat ea ex parte Magnus Gregorius L. s. Moral. c. 31. Per iram , inquit , sapientia perditur , ratio obfuscatur , quid agendum sit ignoratur , vita amittitur , justitia relinquitur , gratia vita socialis deperditur , concordia rumpitur , lux veritatis obfuscatur , Sancti Spiritus splendor excutitur. Aliaque mala innumera accersuntur. Quis igitur iram ebullientem , ejusque paroxysmos compescere ac frœnare negligat ?

Pe-

Petitio.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi;
tolle à me iræ & vindictæ cupiditatem, ut
nunquam in corde meo locum reperiatur; sed
in eo charitas, pietas, mansuetudo, &
animi tranquillitas, dominatum teneat.

Aspirationes.

I. *Desine ab ira, & derelinque furorem.*
Psal. 36. 8.

II. *Salvator meus, amove à me furorem
ira, & indulge mihi benignus scutum pati-
entia.* S. Aug. Med. c. I.

III. *Qui irascitur fratri suo, reus erit
judicii.* Matth. 5. v. 22.

PASSUS XXII.

Mortificatio Acediæ.

TEXTUS.

*Quodcunque potest facere ma-
nus tua, instanter operare.*
Eccli. c. 9. 10.

Cogni-

Cognitio.

ACEDIA est tedium de exercendis actionibus ad salutem necessariis.

Actus ejus sunt:

1. Exercitia spiritualia remissè obire.
2. Rarò aut nunquam se colligere.
3. Proposita sua assidue mutare.
4. Otium & carnalia desideria sectari.
5. Colloquia inutilia quærcere & frequen-tare.
6. Homines spiritu ferventes aversari, & Patres spirituales fugere.

Consideratio.

Animet te , atque è veterno te excitet,
Anima mea , I. Felicitas ferventium Dei servorum , qui Deo placent , Ei fideliter servunt , in spiritu proficiunt , merita augent , & grandem sibi in cælo pro æternitate coronam fabricant. II. Infelicitas & miseria tepidorum te terreat , de quibus S. Bernardus serm. 6. de Ascens. Deficiunt sub onere ; virgå & calcaribus indigent ; quorum brevis & rara compunctione , animalis cogitatio , tepida conservatio : quorum obedientia sine devotione , sermo sine circumpectione , oratio sine attentione , lecio sine edificatione ; quos derique vix gehenna metus inhibet , vix frænatur ratio , vix disciplina

plina coërcet, adiisque inferno appropinquare videntur. III. Infelicitas in morte ac post mortem; tepidam enim vitam excipit, mors plena angustiis, sententia Judicis terribilis, & combustio infernalis. Iam securis ad radicem posita est: omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Quis igitur torporem non excutiat, ut has miserias ac minas evadat?

Petitio S. Augustini.

O Divini amor Numinis, saucia interioris hominis arcana, tui amoris jaculo, & torpentis medullas jecoris, flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando, intima mentis & corporis universa depasce. S. Aug. in med. c. 9.

Aspirationes.

I. Vtinam frigidus essem ante calidus: sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Apoc. c. 3. 15.

II. Reseca in me Factor mei, otiositatem, somnolentiam, pigritiam. & mensis hebetudinem. S. Aug. med. c. 1.

III. Usquequò piger dormies? Usquequò de somno consurges? Surge, grandis enim tibi restat via.

PASSUS XXIII.

Mortificatio Phantasiæ.

TEXTUS.

*Cor tuum phantasias patitur;
sed ne dederis in illis cor
tuum. Eccli. c. 34. 6.*

Cognitio.

PHANTASIA, seu potentia imaginandi, appetitum sensitivum dirigit; estque instar aulæ cuiusdam regiæ, in qua vel picturæ elegantes & honestæ, vel turpes ac fœdæ suspendi aut affigi queunt; illæ ad ornatum; hæ verò ad dehonestamentum.

Consideratio.

Ut phantasie tue perquam diligenter invigiles, eamque ab imaginibus, mundanis, ridiculis & informibus, nec non ab indecentibus ac monstrosis figuris & iconibus præserves, & sanctis potius atque utilibus exornes: Moveat te I. Ejus vis & efficacia in alias potentias; ipsa enim est prima perturbationum & peccatorum causa: quoties enim phantasia fœdis imaginibus

bus occupatur, & tanquam præsentibus oblectatur, mox intellectum ad advertendum, iisque immorandum vehementer sollicitat; quo facto, tandem & ipsa voluntas ad consensum pertrahitur. II. Ejus venenata malitia : hæc enim est omnium impurorum, vindicativarum, ambitiosarum, & avararum cogitationum fons & origo. III. Ejus fallacia : illa enim instar vitri concavi, res augendas minuit ; & instar convexi, minuendas auget, atque ex musca elephatem, aut ex elephante muscam efficit ; totumque animæ regnum perturbat : nunc velut phantasma terrens ; nunc velue somnium exhilarans aut contristans, & mentem contrahens aut dilatans. O quot inde, tentationum, perturbationum, & periculorum fluctus exsurgunt !

Petitio.

Tribue mihi, Domine, phantasiam ita probè custodire ; ut imaginationes noxias illico proscribam, ne primò intellectum, deinde voluntatem in malum pertrahant, & animæ meæ regnum perturbent.

Aspiraciones.

I. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur venium, sic & qui attendit ad visa mendacia. Eccli. 34. 2.

II. Reseca in me, Facto mei, mentis hebetudinem, cordis cecitatem, & inanum phantasmatum turbam. S. Aug. med. c. I.

III. Libera me, Domine, ab omnibus phantasias, ad peccatum pertrahentibus.

PASSUS XXIV.

De Mortificatione Appetitus & Passionum ejus.

TEXTUS.

Post concupiscentias tuas non eas; si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.
Eccli. c. 18. 30.

Cognitio.

Passio; Græcè πάθος, Latinè perturbation, est motus sensibilis, seu sensitivus, appetitivæ potentiaæ seu virtutis, ob imaginationem boni vel mali proveniens. D. Thom. I. 2. q. 22. a. 3. Appetitus autem duplex est, concupiscibilis & irascibilis: in quibus undecim resident passiones. In appetitu

petitu concupiscibili sex : scilicet amor, desiderium, gaudium, odium, fuga, tristitia. In appetitu irascibili quinque : Spes, desperatio, audacia, timor, & ira. Quæ omnes, cum divina gratia, frœnandæ, & per Examen Particulare sunt mortificandæ, quantum fieri potest ; & si non evellendæ, (neque enim Stoicorum apathia datur) at saltem suppressandæ, minuendæ, & prohibendæ sunt, ne ad peccatum pertrahant.

Consideratio.

Si passionum nostrarum detrimenta innumera crebrius meditaremur, profundiisque penetraremus, quanto eas studio comprimeremus ! I. Illæ enim hostes nostri sunt : qui teste S. Augustino in Psal. 121. in procœmio, *Ad peritura nos vocant, ad ima præcipitant, in profunda demergunt, intellectum excœcant, voluntatem à virtutum studio avocant, memoriam bonorum elidunt, appetitum concitant, rationem persequuntur, corpus in haram & jugmentorum stabulum permутant, equo effrœni & indomito similes reddunt, & quod impetus incitaverit, per omnem licentiam nos currere faciunt; nullâ valetudinis, nullâ famæ, nullâ privati, communisque boni habitâ ratione.* II. Arma sunt passiones, quibus nos Sathan impugnat ; retia, quæ nos

nos capiunt , carnifex , qui nos vexant; &c vix ullam quietis partem nobis relinquunt. III. Veluti procellæ sunt ac fluctus, in se mutuò collisi , qui cordis nostri mare commovent & concutunt , perturbant & agitant. His autem turbato cordis mari, amamus , quod foret odiendum ; odimus, quod foret amandum ; desideramus fugienda , & fugimus desideranda ; lætamur de tristibus , & dolemus de lætis: hinc peccatorum scaturigo : hinc pugna & colluctatio , ut velimus & nolimus: velimus virtutem , quia bona est ; nolimus , quia difficilis est: velimus vitium, quia jucundum ; nolimus , quia fœdum & noxiū. O quis è tot laqueis , hostibus , armis & procellis , evellet pedes meos ?

Petitio.

Tu Domine , qui dominaris potestati maris , & motum fluctuum ejus mitigas; impera ventis passionum mearum ; & fieri in corde meo tranquillitas magna.

Aspiraciones.

I. Sub te erit appetitus tuus , & tu dominaberis illius. Gen. c. 4. 7.

II. Libera me , queso, Domine , à peccatis & virtuis ; & reple me tuis sanctis virtutibus. S. Aug. med. c. 12.

III. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, & appetitus passionibus à Gratia Dei per Dominum nostrum IESUM Christum.* Rom. c. 7.

P A S S U S XXV.

Mortificatio Amoris proprii,
omnium passionum Ducis.

T E X T U S .

*Erunt homines seipso amantes,
cupidi, elati, superbi.* 2.
Tim. 3. 2.

Cognitio.

Amor proprius, seu φιλαυτία, id est amor sui ipsius, est, quo quis tantum studet suis commodis, nullâ habitâ ratione, vel divinæ gloriæ, vel alterius finis honesti. Ita. S. Basil. Reg. brev. c. 54. S. Gregor. hom. 4. in Ezech.

Actus Amoris proprii, Examinis
Particularis limâ abradendi
sunt.

1. Nimius sui amor & aestimatio.

D 4 2. De-

2. Desiderium & amor laudis.
3. Timor contemptus & vilipensionis.
4. Erubescensia ob defectus naturales.
5. Occultatio defectuum & vitiorum.
6. Nimia cura poliendi & perficiendi ea, quae visuri sunt homines ; & negligencia in iis , quae visurus & probaturus est Deus.
7. Immoderatus amor bonorum temporalium , & voluptatum non necessariorum & illicitarum.
8. Desiderium excellentiae & honoris super alios.
9. Inordinatus amor propinquorum & amicorum.
10. Inordinatus amor consolationum spiritualium.

Consideratio.

Quis amorem proprium ferro mortificationis confodere non studeat , si malorum illadē ex eo scaturientem perpendat ? I. Amor proprius est excruciator , oculos homini effodiens , ut velut Samsonem , oculis captum , circumagat & ludibrio exponat. *Vehementer oculum cordis claudit amor privatui* , inquit S. Gregorius homa. 4. in Ezech. eoque clauso, *in omnia ista virtus precipitat* , qua recenset Apostolus . cupiditatem , elationem , superbiam , inobedientiam ,

incontinentiam , proterviam , tumorem ,
 & volupeatum amorem . 2. Tim. 3. II. Est
 ductor & seductor omnium passionum ;
 & veluti cardo , in quo omnis respublica
 interior vertitur & movetur , omnia-
 que desideria & cogitationes procedunt ;
 quæ omnia reflectit ad seipsum . III. Est
 quasi idololatra , seipsum pro idolo statu-
 ens , cui unicè serviāt . Inhiat pulchris , ut
 pascat visum ; curiosis , ut mulceat audi-
 tum ; dulcibus , ut oblectet gustum ; sua-
 vibus , ut recreet odoratum ; mollibus , ut
 inescet tactum , laudibus , ut referat plau-
 sum ; dignitatibus , ut honorem reportet .
 Verbo , in omnibus , quæ agit , quin & in
 virtutum adeptione , orationis dono , la-
 crymis solatiis , aliisque spiritualibus , non
 Deo placere , sed seipsum & commoda sua
 quærerit . O quis venenatum hunc fontem ,
 tantorum mālorum , obturabit ?

Petitio.

Exstinde ex horto cordis mei , Domine
 Deus meus , noxiā amoris proprii radi-
 cēm ; ne fructus adeò pestilentes protrudat ;
 sed amorem Tui sincerum , cum gratia tua
 mihi dona , & dives sum satis .

Aspirationes.

I. Si quis vult post me venire ; abnegat
 semetipsum . Matth. c. 16.

II. Fac me, dulcissime Domine, amare
Te, & deponere pondus terrenarum concu-
piscentiarum, & omnium carnalium deside-
riorum sarcinam. S. Aug. med. c. 35.

III. Affer à me, Domine, amorem
proprium, ut Te solum toto corde diligam!

PASSUS XXVI.

Mortificatio Intellectus.

TEXTUS.

*Homo, cùm in honore esset, non
intellexit ; comparatus est
jumentis insipientibus, &
similis factus est illis. Ps. 48.13.*

Cognitio.

Intellectus humanus, Adæ peccato, non
levius, quam voluntas, vulnus accepit;
imò gravius & detestabilius : scilicet igno-
rantiam seu cœcitatem ; quâ homo & in
notione veritatis errat ; & quid à se, vel
ab alio fieri, aut vitari debeat, ignorat.
Atque ex hac radice prima, omnes ferè
errores, defectus, & peccata propullulant.

Con-

Consideratio.

O si quis innumeros intellectus errores, obscuritates, hallucinationes, insipientias, temeritates, curiositates, pertinacias; & innumera inde ebullientia peccata intime perpenderet; quam ardenter Spiritus, sancti dona, adversus haec mala postularet?

Petitio.

O divine Spiritus! 1. Pressus sum ignorantia: saepe enim ignoro, quid credere, quid orare, quid facere vel omittere debeam: obsecro Te, dono Sapientiae me illumina. 2. Saepe insipiens & inconsideratus sum, tam in verbis, quam in operibus, dono intellectus exorna me. 3. Temerarius sum, in suspicando, judicando & condemnando: contra id, dono consilii obarma me. 4. Instabilis sum in judiciis & bonis propositis; condecora me dono fortitudinis. 5. Pertinax sum in defendendo proprio iudicio, instrue me dono Scientiae. 6. Regnat in me mundi, carnisque prudentia; muconi me dono pietatis. 7. Curiositas in multis ad me non spectantibus, mihi dominatur, fræno timoris Domini me cohibe; ut donis hisce septenis insignitus, sim nova domus sapientiae, septem columnis innixa; in qua perpetuo habites.

Aspiraciones.

I. Deus meus : Da mihi intellectum, &
vivam. Psal. 118.

II. Da mihi , Domine , ut videam &
cognoscam , quæ oportet : Culpa enim nox,
mentis nostra oculum obscuritate perculit:
& cum ad superna lucis radium , aciem
mentis erigimus , ipsa infirmitatis nostra
obscuritate caligamus. S. Gregor. 4. mo-
ral. c. 22.

III. Deus , qui intellectum das parvulis,
da , ut intellectus defectus intelligam atque
emendem.

PASSUS XXVII.

Mortificatio propriæ Vo-
luntatis.

TEXTUS.

A voluntate tua avertere. Ec-
cli. c. 18. 30.

Cognitio.

V Oluntas propria dicitur , quæ ita est
nostra , ut in eo , quod volumus , non
sit

sit Deo , proximisque communis. S. Bernard. serm. 3. de resurr. Ut si velis dormire, aut vigilare , eo tempore , quò non est secundùm voluntatem Divinam & Superiorum. Atque hæc voluntas strenuè est mortificanda in omnibus , internis & externis, temporalibus & spiritualibus ; ita ut nihil propter nos ipsos , aut propter voluntatem nostram explendam cupiamus , vel faciamus. Ac proinde observanda sequentia :

1. Mala non sunt facienda, neque magna, neque parva.
2. Bona facienda sunt , non propter nos, sed propter Deum.
3. Opera studiosè peragenda sunt ; sed ita , ut ea relinquere , aut cum aliis permutare , si juberet obedientia, parati simus.
4. Bonum commune communitatis, propriis commodis nostris præferendum est.
5. Ad vincendam voluntatem propriam; eligendum potius est , subesse , quam præesse.

Consideratio.

O quis innumera propriæ voluntatis detrimenta animo volvens , eam non penitus suppressimere allaboret. Nam I. Voluntas propria est inimica DEO. Propria voluntas

84 SEMITA PERFECTIONIS

DEO semper inimicatur , ait S. Laurentius Justinianus de discipl. c. 7. dominari toto posse conatur , rationis iudicium extorquet , suo id faciens arbitrio militare. II. Est inimica Superioribus ; pergit enim l. c. idem sanctus Patriarcha : Non majoribus acquiescit , non reveretur , non obtemperat , nulli subesse potest ; nec commoditate flectitur , nec minis humiliatur. III. Est inimica sibi & proximis ; Illa enim semper procax est , effronata in locutione , incomposita in moribus , inordinata in affectionibus , ignara sui , & à proximi dilectione aliena. O malum detestabile ! O antiqua nequitia , quantum dominaris ! Per te Angelorum ruina facta est : per te Adam innocentia stolâ orbatu*s* est : tu amicitarum iurâ violas ; tu conjugum divorcia facis , tu bellorum discordias generas , tu pacem fugas , tu cunctum perturbas Orbem . & plurimis reples flagitiu*s* : tu infernum ditas , & gehennalibus flammis fomentum subministras. Idem l. c.

Petitio.

Exue me , Domine , voluntate propriâ tot malorum radice ; ut sanctam voluntatem tuam in terra ; sicut Angeli in cælo , perfectè adimpleam.

Affi-

Aspirations.

I. Pater, non mea, sed tua voluntas fiat.
Lucæ c. 22.

II. Cesset voluntas propria, & infernus
non erit. S. Bernard.

III. Da mihi, Domine, in cunctis pro-
priam meam voluntatem abnegare ; ut
tuam sequar in omnibus.

CLAUSULA
VIÆ PURGATIVÆ.

LEtor benevole, antedicti Viæ Pur-
gativæ passus ob oculos tibi ponunt,
lolia & zizania, examinis particularis run-
cinâ exscindenda ; ut impleas illud Jere-
miæ c. 1. Constitui te hodie, ut evellas &
destruas, & disperdas, & dissipes, nimirum
peccata, vitia, passiones, pravas inclina-
tiones & consuetudines ; Hoc autem ut-
cunque peracto, alteram perfectionis viam
ingredere, ut adfices & plantes ; adfices
domum perfectionis, & plantes germina,
florésque virtutum : de quibus in viis
sequentibus agemus.



SE-



SEMITA II. PERFECTIONIS ILLUMINATIVA,

In qua
Anima Christiana illuminatur,
& exornatur virtutibus.

Præfatio.

Si Regi terreno , Metropolim suam , pro inauguratione , ingressu- ro ; non tantum viæ mundantur , sor- des removentur , inæqualia planantur , sen- ticta exscinduntur ; verùm etiam ramis , arboribus , herbis , floribus , tapetibus ac peristomatibus exornantur : quidni & nos Regi cœlesti , animæ nostræ arcem subi- turo , & animæ nostræ regnum occupaturo , viam fragrantibus omnium virtutum flo- gibus adornemus ? Quâ verò ratione id præ-
Re-

stemus, mox ostendemus, dum virtutum definitiones, actus & incitamenta declarabimus, additâ exercitatione assiduâ, oratione, & aspirationibus, quibus eas à Deo bonorum omnium Largitore flagitemus. Hanc methodum & semitam ostendat ac patefaciat nobis, is, qui est *Via, Veritas, & Vita.* Joan 14. Ut per viam veritatis, ad vitam æternam perveniamus!

Sunt autem bene prænotanda, & minimè negligenda, quaterna efficacissima, jam dicta, virtutes acquirendi media, seu

Instrumenta Virtutum.

I. Cognitio virtutum. II. Æstimatio seu appretiatio virtutum. III. Oratio, seu postulatio virtutum. IV. Interna & externa virtutum exercitatio.

Ad omnia illa & singula manuducit præsens Libellus: dum I. Ostendit & explicat, quid sit virtus. II. Pro æstimatione concilianda, addit considerationem, virtutum præstantiam, merita, & præmia exhibet. III. Petitio cum aspirationibus annexatur, quâ DEI gratia imploratur. IV. Actus denique interni & externi operæ Examinis Particularis exercendi, propoununtur. Tantum *Inspice, & fac.*
Exod. 25. V. 40.

SE-

SEMITÆ II.

Perfectionis, seu Illuminativæ

PASSUS I.

Desiderium Virtutum.

TEXTUS S. SCRIPTURÆ.

*Beati, qui esuriunt & sitiunt
justitiam, quoniam ipsi satu-
rabuntur. Matth. c. 5.*

Cognitio.

Virtus est, quæ bonum facit habentem,
& opus ejus bonum reddit. Aristot.
l. 2. Ethic. c. 6. Vel ut exponit S. Augusti-
nus L. 2. de Lib. Arbit. c. 18. *Virtus est
bona qualitas mentis, quæ recte vivitur,
quæ nemo male utitur, quam Deus in nobis,
sine nobis operatur.* Virtus autem superna-
turalis, alia est Theologica, alia Moralis.
Theologicæ tres sunt: Fides, Spes, Cha-
ritas. Morales quatuor: Prudentia, Ju-
stitia, Fortitudo, & Temperantia; ad quas
multæ aliæ, vel ut partes integrales; vel
ut

vel ut subjectivæ, vel ut potentiales pertinent.

Consideratio motivorum.

Ideo innumeri mortales virtutem non diligunt, neque ambiunt, quia eam non cognoscunt: ignoti enim nulla cupido. Ne id in nos cadat, expendamus I. Quanta sit virtutis *Prestantia*: illa enim est nostra bonitas, nostra nobilitas, nostra dignitas, noster splendor, decus, gloria & corona. II. Quanta ejus *Vilitas*. Est enim panis solidus, cor hominis confortans; est panoplia, quā nos defendimus, hostes prosterimus, victoriam comparamus. Est supplementum naturæ, ornamentum animæ, facilitas boni operis, quā benè sancteque vivimus, quā veris malis, peccatis scilicet, resistimus; quā vitam æternam promeremur, Christique imagines ac imitatores efficimur. III. *Lucunditas*, à qua animi pax, vera lætitia & tranquillitas jucunda dimanat; quæ mirificè recreat; cuius radix sola bonos, ac tandem beatos efficit; quod nec potentia, nec opulentia, nec alia res quæcunque naturalis potest præstare. O quis igitur ad eam non toto pectore abelet?

Petitio.

Domine Deus virtutum, insere cordi meo

meo tam insatiabile virtutis desiderium, ut
ejus assequendæ gratiâ, nulli labori parcam,
obstacula cuncta perrumpam, & media de-
nique nulla prætermittam.

Aspirationes.

I. In quacunque die inuocavero Te, exau-
di me; multiplicabis in anima mea viriutem.
Psal. 137. 3.

II. Bonitatem, & disciplinam, & scien-
tiam doce me; ut in nobis vitia ac volupta-
res disciplina castiges. S. Aug. L. 50. Ho-
mil. 3.

III. Lumen æternum, doce me, virtu-
tum naturam intelligere; earum pretium
& valorem æstimare, earumque bonitatem
toto corde desiderare.

P A S S U S II.

Fides.

T E X T U S.

*Sine fide impossibile est placere
DEO: credere enim oportet
accedentem ad Deum, quia
est, & quia Remunerator
bonorum est. Hebr. c. 11. 6.*

Cogni-

Cognitio.

Fides est donum DEI ac lumen, quo illustratus homo, firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint. *Catech. Canis.* Motivum fidei, ob quod credimus, est autoritas Dei revelantis, qui falli nequit, quia est summa Sapientia; & nequit fallere, quia est summa & prima Veritas. Duplex autem est fides; alia est viva, quæ per charitatem operatur: alia mortua, quæ charitate & bonis operibus est destituta.

Actus Fidei, in Examine Particulari exercendi sunt:

1. Corde firmiter credere.
2. Ore fidem confiteri.
3. Opere eandem confirmare.
4. Pro viribus fidem spargere ac dilatare.
5. Eandem contra hæreticos, aliósque fidei hostes fortiter propugnare.
6. Denique pro fide, si gratia illa contingat, sanguinem proprium fundere.

Consideratio motivorum credititatis.

Valde fidem roborat, atque in tentatiōnibus contra fidem, animum confirmat consideratio motivorum, quæ fidem nostram

stram Romanam, Catholicam, reddunt evidenter credibilem , & nulli alteri sectæ conveniunt. Qualia sunt: 1. Vaticinia Prophetarum. 2. Testimonia Martyrum. 3. Copia miraculorum. 4. Puritas doctrinæ catholicæ. 5. Concordia ejus mirabilis cum ratione. 6. Omnium fidei mysteriorum summa consensio. 7. Mundi conversio. 8. Admiranda fidei, per Apostolos rudes, pauperculos , & inermes , propagatio. 9. Vis fidei in mutandis animis conversorum. 10. Sanctitas , & sapientia Doctorum fidei. 11. Vita illibata fidem recipientium , ejusque præceptis se se accommodantium. 12. Stabilitas Ecclesiæ inter tot perseciones. 13. Oppugnantium clades. 14. Librorum sacrorum antiquitas. His ritè consideratis, an non meritò cum Hugone de S. Victore dicemus: *Domine, si error est, à Te decepisti sumus: nam ista in nobis, tantu signis & prodigiis confirmata sunt, & ratibus, quae non nisi per Te fieri possunt.* Sent. i. de Trin. c. 2.

Petitio.

Domine JESU Christe, veræ fidei Author & Consummator, qui me præ tot milliobus, in infidelitate, & hæresi æternū pereuntibus, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium , fidemque orthodoxam vocare digna-

gnatus es ; concede propius ; ut corde credam ad justitiam ; ore autem confitear ad salutem ; ac opere fidem confirmem, defendam ac dilatam , & sanguinem pro eadem profundam , ad tuam majorem gloriam. Amen.

Aspirationes.

I. Domine, adauge nobis fidem. Lucæ c.
17. Credo Domine, adjuva incredulitatem
meam. Marc. 9.

II. Fac Domine, virtus salutis meæ ; ne
sim de numero eorum , qui ad tempus cre-
dunt , & in tempore tentationis recedunt.
S. Aug. med. c. 2.

III. Credo, quidquid dixit Dei Filius:
nil hoc verbo veritatis verius.

PASSUS III.

Spes.

TEXTUS.

Firmissimum solatium habemus,
qui configimus ad tenendam
propositam spem, quam sicut
anchoram habemus animæ

tutam ac firmam. Hebr.
c. 6. 18.

Cognitio.

SPES est virtus Theologica, residens in voluntate, quâ ex gratia Dei & meritis nostris præcedentibus firmiter speramus æternam beatitudinem. Hæc autem spei firmitas & certitudo innititur: 1. Omnipotentiæ Dei, qui potest omnia. 2. Bonitati Dei, qui vult dare. 3. Fidelitati Dei, qui in promissionibus non fallit. 4. Meritis Christi, qui omnia nobis promeruit.

Actus Spei.

1. Sperare æternam beatitudinem, animæ & corporis.
2. Sperare media ad fœlicitatem illam consequendam.
3. In necessitatibus ad Deum recurrere.
4. In magnis difficultatibus animum non abjecere.
5. In adversis non murmurare, sed tare, & ad Deum suspirare.
6. Divinæ voluntati se conformare, Deo adhærere, & in Eo sperare.
7. Sanctorum auxilia implorare, ut quod meritis nostris non valemus, eorum patrocinio assequamur.

8. Si

8. Si omnibus mediis adhibitis , nihil tam
men impetremus , tranquillitatem
mentis tenere ; & hanc ipsam esse
suavissimam Dei providentiam & or-
dinationem credere.
9. Non niti propriis meritis ; sed Chri-
sti , qui est caput nostrum : quamvis
etiam propriis meritis , divinam gra-
tiam , & auxilia promereri , studere
debeamus : nam ut recte S. Albertus
M. ait : Spes sine merito , non est spes;
sed præsumptio.

Consideratio.

Quem non erigat , ac confortet in spe,
consideratio . I. Divinæ omnipotentiæ ,
omnia valentis. II. Bonitatis & liberali-
tatis , omnium miserentis. III. Promis-
sio infallibilis æternæ veritatis. IV. Chri-
sti Domini merita infiniti valoris ? Dica-
mus igitur cum Doctore mellifluo : Quid-
quid agendum , quidquid declinandum.
quidquid tolerandum , quidquid optandum.
Tu es Domine spes mea. Hac unica mihi pro-
missionum causa : pratendant alijs alia. Tua
me omnipotentia erigit , qua valeat omnia;
tua me bonitas firmat , qua vult nobis bona
omnia; tua promissio roborat , qua promisit
omnia ; tui Filij merita confirmant , qua
meruerunt omnia. In Te Domine speravi,

E non

96 SEMITA PERFECTIONIS.

non confundar in aeternum. S. Bernard. in
Psal. Qui habitat.

Petitio.

Tu es Domine spes mea : sperent alii in amicitia propinquorum : alii in incerto divitiarum : alii in armis & robore militum : alii in Principibus & filiis hominum , in quibus non est salus : ego autem sperabo & gaudebo in DEO IESU meo , qui spem meam corroboret ; ac denique spem in rem convertat.

Aspiraciones.

I. *Mihi adhaerere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam.* Psal. 72.

II. *Da clementissime Domine , solidam fidem , spem congruam , & charitatem continuam.* S. Aug. med. c. 1.

III. *In Te Domine speravi , non confundar in aeternum.* Psal. 30.

P A S S U S IV.

Diffidentia sui.

T E X T U S.

*Non sumus sufficientes cogitare
ali-*

aliquid boni à nobis , quasi
ex nobis ; sed omnis sufficien-
tia ex DEO est. 2. Co-
rinth. c. 3.

Cognitio.

Diffidentia suâ in eo sita est , ut quis
credat , certumque teneat , se tam in
naturalibus , quâm supernaturalibus , absque
auxilio Dei , nihil posse ; sed esse instar in-
fantis , qui absque alterius ope , si nudus sit ,
non potest se operire ; non pascere , si sit
famelicus ; lapsus in terram , nequit surgere ;
sordibus inquinatus , non potest sese mun-
dare ; ab hostibus non valet se defendere ,
nec pericula fugere , nec vulnera inflicta
curare.

Actus Diffidentiæ.

1. Practicè cognoscere , omnia bona ac
dona à Deo esse.
2. Imbecillitatem , fragilitatem , & incon-
stantiam suam agnoscere .
3. Suis viribus minimè fidere , existimare ,
propriis viribus se non posse tentationi
resistere , nec proposita bona exequi .
4. In lapsu crebriore , non mirari , non
indignari , non impatientiâ tangi , aut
pusillanimitate dejici .

98 SEMITA PERFECTIONIS.

s. In omnibus ad Deum confugere, & ejus
ope in implorare.

Consideratio.

Pœnæ, in se nimium confidentibus immissæ, quem non à nimia suâ confidentia absterrent? I. Goliath viribus suis fisis, à Davide pastoreculo percussus interit. II. Holofernes copiis suis præsidens, à debili scemina obtruncatus est. III. Nabuchodonosor potentiaz innitens, regno simul & ratione privatus est. IV. Rex Asa in Rego Syriae fiduciam collocans, ab hostibus suis devictus & prostratus est. V. Petrus Apostolus nimia laborans suâ præsidentiâ, in trinam Domini sui negationem prolapsus est. O quis igitur sibi fidat? Quis baculo nixus arundineo, se fulciat?

Petitio.

Deus refugium meum & firmamentum meum, tolle à me nimiam mei confidentiam, gratiamque largire, ut media omnia tantâ adhibeam diligentia, atque si mihi soli opus peragendum incumberet; & simul tantâ sperem fiduciâ, tantoque fervore opem tuam implorem, quasi à Te solo efficiendum foret.

Aspirationes.

I. Qui confidit in corde suo, stultus est.
Proverb. c. 12.

II. *Quamvis sis in euto, noli esse securus.*
S. Bernard. *Qui existimat se stare, videas
ne cadat.* 1. Corinth. c. 10.

III. Domine, qui dixisti: *Sine me nihil
potestus facere.* Joan. 15. Da mihi, viribus
meis penitus diffidere.

PASSUS V.

Fiducia in DEUM.

TEXTUS.

*Nolite amittere confidentiam
vestram, quæ magnam ha-
bet remunerationem.* Hebr.
c. 10. 35.

Cognitio.

Fiducia est spes roborata, atque perfecta:
quæ ex parte Dei est certissima, ac fir-
missima: quia nititur omnipotentiâ, boni-
tate, fidelitate ac promissione Dei, & Chri-
stii meritis: licet ex parte nostra, non sit
tam absoluta certitudo, ut timorem exclu-
dat; quia ex parte nostra accidere potest de-
ficiens: unde Apostolus monet, ut cum timore
& tremore salutem nostram operemur.

E 3 Mo-

Motiva ad fiduciam excitantia, tempore pusillanimitatis, tristitiae, tentationis, adversitatis, desolationis aut desperationis usurpanda.

Quomodo non confidam in Te Domine Deus meus; si tot ac tanta, ab infinita bonitate ac misericordia tua, in me profecta beneficia mente revolvam? Nam 1. Tu ab æterno dilexisti, & ex tot hominum millionibus elegisti me. 2. Tu in tempore creasti me, conservasti me, sustentasti me; & omnibus bonis tuis locupletasti me. 3. Tu pretioso Fili tui sanguine, voluisti redimi me. 4. Tu non ab infidelibus, Judais, aut hereticis parentibus, sed à fidelibus & christianis voluisti nasci me. 5. Tu me non absque baptismi lavacro decedere, & visione beatificâ æternum privari; sed illo me à peccato originali mundari, & ovibus tuis annumerari fecisti. 6. Tu in salvifica fide catholica hactenus me conservasti; & Sacramento confirmationis in eadem stabili-
visti. 7. Tu in pueritia, adolescentia, & juventute, ab innumeris corporis & animæ periculis me præservasti. 8. Tu post primum peccatum lethale me non statim, ut poteras, in damnationis æternæ barathrum præcipitasti; sed ad poenitentiam clementer
ad-

adduxisti. 9. Tu toties relapsum , per Sacramentum pœnitentiæ identidem abluisti , & in gratiam recepisti. 10. Tu pretioso Corpore & Sanguine Filii tui JESU Christi toties me pavisti. 11. Tu ad statum hunc plium & amabilem me benignè vocasti , & in eo de tot salutis consequendæ mediis mihi paternè providisti. 12. Denique ut innumera taceam occulta & aperta beneficia, Tu me in ovem tuam, in servum, in amicum, in filium, in heredem, in sponsam amanter admisisti, fovisti, dilexisti, ac donis ac favoribus maximis cumulâsti. Et ego Domine , post tot ac tanta certissima benevolentia tuæ signa , & luculentissima testimonia , de amore & benevolentia tua diffidam? Ergone hæc omnia gratis & frustra mihi præstitisti? O Domine! Sub umbra alarum tuarum sperabo , donec transeat iniquitas. Psal. 56. v. 2. Et etiam si occideris me , in Te sperabo. Jobic. 13. v.

Petitio.

Adauge in me , Domine , spem & fiduciam : nam cum S. Bernardo, Tri a considero, in quibus tota spes & fiducia mea consistit; charitatem adoptionis; veritatem promissionis; potestatem redditionis. Serm. 3. de 7. panibus.

Aspiraciones.

I. Habe fiduciam in Domino, ex tetragrammatone. Proverb. c. 3. s.

II. Domine, ecce spes mea, ecce tota fiducia mea, Filius tuus pro me crucifixus. S. Aug. med. c. 8.

III. Qui confidit in Domino, sicut mors Sion, non commovebitur in eternum. Psal. 124.

PASSUS VI.

Timor Domini.

TEXTUS.

Initium sapientiae timor Domini.
Psal. 111.

Cognitio.

TTimor est fuga peccati, ne quis incurrit in pœnam temporalem, aut æternam; ne perdat cœlestem gloriam; & ne labatur in sui Creatoris offenditam. Timor autem est triplex: 1. *Servilis*, ortus ex formidine pœnæ. 2. *Initialis*, qui pœnam & offenditam respicit. 3. *Filialis*, qui timeret offenditam.

offensam Dei ex amore , ne optimo parenti
displaceat.

Actus sunt :

1. Dei justitiam & severitatem , peccatorumque gravitatem ponderare.
2. De anteaictis peccatis pœnitentiam agere , & satisfacere , ad pœnam evadendam.
3. Omnia peccata gravia , & levia pro viribus declinare.
4. In temptationibus se animare ac robore , quo pœnam evadamus.
5. Divina mandata sedulo observare , ne Deo dispiceamus.
6. Summâ reverentiâ Deo se submittere ; nihilum suum & fragilitatem agnoscere , & infra omnes se abjecere.

Consideratio.

Anima mea , si motiva quām plurima , à peccato te efficacissimè retrahere valentia , perpenderis , fieri non poterit , quin ingenti timore percellaris . Talis esse poterit 1. Consideratio mortis certæ & incertæ . 2 Consideratio extremi ac rigidissimi judicij . 3. Consideratio inferni , verè omnium terribilium terribilissimi . 4. Consideratio Passionis Filii Dei : Si in viridi ligno has faciunt ; in arido quid fiet ? 5. Consideratio propriorum peccatorum , & alienorum .

6. Consideratio propriæ fragilitatis & proutitatis in lapsum. 7. Misericordiæ & justitiæ Dei infinitæ. 8. Sapientiæ Dei omnia scientis. 9. Omnipotentiæ, valentis corpus & animam perdere in gehennam. 10. Consideratio abyssi judiciorum Divinorum planè terribilis. O quis hæc serio perpendens non trepidet? Quem ista, velut frœnum, à malo non retrahant? Quem velut calcar acre ad bonum non impellant?

Petitio.

Fac nos, Domine, timorem Tuū & amorem habere perpetuum: ut non tam timore servili, quam filiali, permoti, declinemus à malo, & faciamus bonum, tibiique unicè placere satagamus.

Aspirations.

I. *Confige timore carnes meas: à mandatis omnim tuis timui.* Psal. 118.

II. *Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, (infernalis) & concussa sunt omnia ossa mea.* S. Bernard. serm. de s. reg.

III. *Vigeat in me, Domine, timor filialis, qui est Timor Domini sanctus, manens in saeculum seculi.* Psal. 18.

PASSUS VII.

Prudentia.

TEXTUS.

Estote prudentes, sicut serpentes.

Matth. c. 10. 16.

Cognitio.

PRudentia est virtus practica , per quam
& finis honestus præfigitur , & media
ad hunc finem obtainendum congrua eli-
guntur.

Actus ejus sunt:

1. Consilium , quo media ad assequendum
finem idonea investigantur.
2. Judicium , quo de aptitudine medio-
rum ad finem sententia fertur.
3. Imperium , quo voluntas imperat , ut
executioni mandetur , quod judica-
tum est.

Consideratio.

Sequere , Anima mea , consilium Sapien-
tis , & veram prudentiam acquirere stude ,

E 6 ut

ut fructibus ejus fruaris. I. Posside sapientiam, posside prudentiam: ne dimittas eam, & custodie te; dilige eam, & conservabis te. Proverb. c. 4. 5. II. Vtinam saperes & intelligeres, ac novissima provideres. Saperes, qua Dei sunt; intelligeres, qua mundi sunt; provideres, qua inferni sunt! Profecto infernum horreres; superna appeteres; qua ad manum sunt, contemneres. S. Bernard. in Epist. Verum quia saepe caligat mentis oculus; veram prudentiam, & Spiritus sancti dona à Deo efflagita.

Petitio.

O Divine Spiritus, fons & Author omnis sapientiae & prudentiae, concede mihi I. *Donum consilii*: ut in omnibus operibus & negotiis meis cuncta mature considerem, & consultem; atque oculum mentis semper in Dei voluntate defigam. II. Da mihi *donum intellectus*, quo in rerum deliberatione & consultatione recte judicem; vera à falsis, certa à dubiis, bona à malis, à mediocribus optima discernam, eaque, quæ secundum circumstantias loci, temporis, personæ, rei ipsius, optima & convenientissima sunt, semper eligam. III. Adde *donum fortitudinis*, ut ea, quæ facta deliberatione, opportuna, utilia, aut necessaria esse duxi, cum celeritate, vigilantia, & sol-

& sollicitudine executioni mandem: ne aliquando à prudentium cœtu exclusus, virginibus fatuis annumerer.

Aspirationes.

I. Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent! Deut. 32. v. 29.

II. Ista est vera sapientia, (sc. prudentia) per contemptum mundi, tendere ad regna cœlestia. Tho. Kemp. L. 1. c. I.

III. Da mihi, Domene, sedium tuarum, assistricem sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret; & sciam, quid acceptum sit coram Te. Sap. 9. v. 4.

PASSUS VIII.

Discretio.

TEXTUS.

Posside sapientiam, quia auro melior est; posside prudentiam, quia pretiosior est argento. Proverb. c. 16. 16.

Cognitio.

DIscretio est spiritualis prudentia; quæ in his, quæ ad interiora spiritus pertinet;

uent , vera à falsis , bona à malis , majora à minoribus bonis discernimus ; & his repudiatis , illa , quæ magis conferunt , acceptamus : excessumque ac defectum in bonorum operum exercitiis devitamus .

Actus.

1. *Judicatio* , cuncta adducens in judicium , & bona à malis segregans , nos per illicita effluere non sinit .
2. *Deliberatio* , quæ nihil inconsultè agit ; nos à supervacaneis restringit .
3. *Dispositio* , quæ cuncta ordinatè operatur , & nihil confusum relinquit .
4. *Dispensatio* , quæ supervenienti occasioni cedit .
5. *Moderatio* , quæ modum custodit in omnibus , & mensuram non excedit .
Ita Richardus Victorinus in Psal. 14.

Consideratio.

Quām necessaria sit in omnibus rebus spiritualibus & corporalibus discretio , liquet ex eo : 1. Quoniam absque discretione , virtus in vitium degenerat . *Tolle discretionem , & virtus vitium erit.* S. Bern. serm. 49. in Cant. II. Discretio omnium virtutum modus , & ornamentum est . *Discretio omni virtuti ordinem ponit ; ordo modum tribuit , & decorum etiam ac perpetuitatem.*
S. Bern.

S. Bern. l.c. III. Discretio virtutum est conservatio & stabilitas. *Virtus enim cum indiscretè tenetur, amittitur; cùmque discretè intermittitur, plùs tenetur.* S. Gregor. l. 28. Moral. c. 12. Si igitur virtutem amas, discretionem, virtutum conservatricem amore completere.

Petitio.

Orna me, Domine, discretionis virtute, quæ in omnibus me gubernet, ut à recto non deviem: sed eâ dirigente, in somno & vigilia; in quiete & labore; in refectione & jejunio; in locutione & silentio; in oratione, & quovis pietatis exercitio, modum, tempus, mensuram, reliquásque circumstantias observem; & neque per defecum, neque per excessum delinquam, sed medium discretè teneam, ad laudem & gloriam tuam. Amen.

Aspirationes.

I. Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Eccli. 32. 24.

II. Ne innitaris prudentia tua. Proverb. c. 3. Et ne quid nimis: Tolle discretionem, & virtus vitium erit.

III. Obscro, Domine, da, ut discretum semper & rationabile sit obsequium meum.

PAS-

PASSUS IX.

Justitia.

TEXTUS.

*Reddite , quæ sunt Cæsaris,
Cæsari ; & quæ sunt Dei,
Deo.* Matth. c. 22. 21.

Cognitio.

JUSTITIA est virtus , seu habitus voluntatis , inclinans ad suum cuique tribuendum . Prima est erga Deum ; secunda erga patriam : tertia erga parentes : quarta erga omnes . Justitia est triplex : alia est *legalis* , alia *distributiva* , alia *commutativa* . Ad quas duo serviunt principia : I. *Quod ab alio oderu tibi fieri , vide ne tu aliquando alteris facias* . Tobiæ c. 4. 16. II. *Omnia quæcunque vultis , ut faciant vobis homines , & vos facite illis* . Matth. c. 7. 12.

I. Actus justitiae legalis , prout est in Superioribus .

1. Zelare pro legibus . 2. Justa subditis præcipere . 3. Benè gesta præmio afficere . 4. Delicta punire . 5. Subditorum commo-
dis

dis prospicere. 6. Pericula, aliisque mala
arcere.

Prout est in subditis.

1. Legibus obedientiam præstare.
2. Concordiam cum aliis servare.
3. Meminem lædere.
4. Commune bonum procurare,
& proprio anteponere.

**II. Actus Justitiæ distributivæ,
in Superioribus.**

1. Juxta necessitatem, aut alios titulos, proportionem certam exigentes, communia bona distribuere.
2. Juxta quantitatem delicti, & delinquentis qualitatem pœnam infligere.

In subditis.

1. Nihil extra necessitatem perere.
2. Ad dignitates se importunè non ingerere, eas præcipue, quæ excedunt meritum.

III. Actus justitiæ commutativæ.

1. Nemini damnum inferre, verbo, consilio, facto, in bonis, in honore & corpore.
2. Omnia proximi facta bene interpretari.
3. Bonum alterius pro viribus procurare.

Consideratio.

Quanto amore complecti debeas justitiam, quam Deus justus in omnibus operibus

ribus suis à te requirit, docebunt tituli sequentes: nam I. Specialiter enim Deus à te exigit: *Facere iudicium & justitiam.* Mich. c. 6.8. II. Bonum Reipublicæ eam postulat: *Iustitia elevat geniem.* Proverb c. 14. 34. *Solium Regis firmatur per iustitiam.* Ib. c. 16. v. 12. III. Bonum particulare cuiusque eam requirit: nulli enim membro bene esse potest, nisi capiti, ceterisque membris aptè cohæreat. Accedit, quod iustitia in cælo præmium & coronam iustitiae; sicut ex adverso injustitia pœnam in inferno promeretur. An non igitur maximo amore prosequenda est iustitia?

Petitio.

Tribue mihi, Domine, virtutem iustitiae, quâ cuique, quod suum est, libens tribuam: majori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, mihi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam; ut in die judicii obtineam coronam iustitiae, quam mihi reddet justus Judge.

Aspiraciones.

I. *Vsqne ad mortem certa pro iustitia; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Eccli. c. 4. 33.

II. *Vtinam redderem Superiori, inferiori & aqua-*

& equali , cuique quod debeo. S. Ber-
nard.

III. Beati , qui custodiunt iudicium,
& faciunt justitiam omni tempore. Psal.
105. 3.

P A S S U S X.

Religio.

TEXTUS.

**Dominum DEUM tuum ad-
rabis , & illi soli servies.**
Deut. c. 6.

Cognitio.

Religio est virtus, quâ Deo , tanquam
omnium Creatori, ac Domino debitum
cultum exhibemus.

Actus ejus sunt :

1. *Honor Dei , quo altam de eo aestima-
tionem concipimus , & quemadmo-
dum creaturam decet , Ei ut Creatori
nos submittimus.*
2. *Devotio , seu promptitudo mentis ad
omnem Dei cultum & obsequium.*

3. Ora-

3. *Oratio*, seu petitio, seu mentis elevatio in Deum, & Sanctorum invocatione.
4. *Adoratio*, quā nos coram Deo tanquam summa Majestate, corpore & mente prosternimus.
5. *Sacrificium Missa*, quo Corpus & sanguinem Christi, Deo offerimus.
6. *Administratio & suscepitio Sacramentorum*. Exhibitio oblationum, primitarianarum & decimatarum.
7. *Varii actus virtutum*, ut votum, juramentum, obsecratio, laus Dei, gratitudo, aliisque actus virtutum tam Theologicarum, quam Moralium, quos Religio potest in divinum honorem referre, & ad dandum ei cultum assumere.

Consideratio.

O quem tanta Religionis nobilitas, præstantia, & utilitas, ad eam crebrò exercendam non impellat? Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hac est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc saculo, ait S. Jacobus Apostolus in Epist. c. i. 27. Quid excellentius, melius, diviniusque excogitari potest, quam aliis benefacere, solatum impertiri, & alienis mi-

miseriis succurrere ? Quid homini utilius,
Deoque acceptius , quām se *immaculatum*
eustodire ab hoc seculo? Id est, moribus sæ-
cularibus omnino renunciare , ac peccata
tam carnalia , quām spiritualia , pro viri-
bus devitare ? O si id præstarem , quām pu-
ras in oratione manus ad Te levarem? Quām
grata tibi sacrificia offerrem ?

Petitio.

Præsta , obsecro , Domine , in me re-
ligionis augmentum , quām maximum , ut
mundus & *immaculatus* , manus mundas in
oratione ad Te levem ; summum , quem
possim , honorem Tibi exhibeam ; singu-
lari devotione Tibi serviam ; Te colam , Te
adorem , sacrificium offeram , sacramenta
administrem , vota mea reddam , laudes
& alios virtutum actus depromam , ad glo-
riam tuam sempiternam. Amen.

Aspiraciones.

I Voluntariè sacrificabo Tibi , & confie-
bor Nomi n tuo , quoniam bonum est. Psal.
53. 8.

II. Deus meus , Refugium meum , & Li-
berator meus , suggere , qua de Te cogitem;
doce , quibus Te sermonibus invocem ; da ,
quibus operibus Tibi placeam . S. August.
Med. c. 2.

III. Deus virtutum, præsta in nobis religionis augmentum!

PASSUS XI.

Pœnitentia.

TEXTUS.

Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum cœlorum. Matth. c. 3. 2.

Cognitio.

Pœnitentia est virtus; quâ peccata nostra, ut sunt Dei offendæ, detestamur; & eadem efficaciter expiare, ac deinceps cavere statuimus.

Actus sunt:

1. Peccatum agnoscere & erubescere.
2. Dolorem de peccato excitare, illudque detestari.
3. Propositum firmum concipere, ac peccatum emendare.
4. Confessione sacramentali peccatum expiare.
5. Pro delictis divinæ majestati, orationibus,

nibus , eleemosynis , jejuniis , aliisque corporis castigationibus satisfacere.

6. Virtutes , peccatis commissis contrarias exercere , occasiones vitare , aliis ignoscere , de se humiliter loqui ac sentire.

Consideratio.

O quām salutaris , quām proficia , necessariāque est pœnitentia; secunda post naufragium tabula ! I. Perpende ejus necessitatem : *Nisi pœnitentiam egeritis , omnes similiter peribitis.* Lucæ c. 13. II. Utilitatem ; Spongiæ instar peccata , quantumvis multa & magna , delet : O pœnitentia , misericordia mater , & magistra virtutum ; magna operatua , quibus reos resolvit , ac refidis deliquentes , lapsos relevat , recreas desperatos . Per te subito rapuit Christus latronem ad regnum ; per te David post flagitium . felix iterum recipit Spiritum sanctum . S. Chrysost. serm. de pœn. III. Dignitatem & jucunditatem . Ex diaboli mancipiis , filios Dei efficit , regnique cœlestis hæredes instituit : ab onere gravi peccatorum liberat , pacem , tranquillitatem , devotionem , consolationem , & lætitiam animæ restituit . O pœnitentia , quid te te referam ? Tu ligata solvis , clausa referas , omnia adversa mi-

zetas, omnia conserua sanas, omnia confusa lucidas, omnia desperata tu animas. S. Cyprian. de laud. pœn.

Petitio.

Concede mihi, misericors Deus, eorum contritum & humiliatum, unum cum fonte lacrymarum, quibus delicta mea plangam, nec unquam iterum plangenda committam; sed dignos pœnitentiae fructus faciam, ne in æternum peream.

Aspirationes.

I. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Psal. 6. 7.

II. Ego peccator, Domine, dum tibi assisto, cur non corde pavo, vulnus palleo, labii tremo, toto corpore inhorresco, sicque obortis lacrymis coram Te indefinenter lugere ob delicta mea? S. Aug. med. c. 34.

III. Cor contritum & humiliatum, duci mihi Domine, & ne despicias illud.

PASSUS XII.

Pietas erga Parentes.

TEXTUS.

*Honora Patrem & Matrem,
ut*

SEMITA PERFECTIONIS. 119

ut sis longævus super terram.

Exodi c. 20. 12.

Cognitio.

Pietas est virtus, quâ iis, qui ortûs & educationis nostræ sunt principium, & aliis sanguine junctis ac patriæ, debitum cultum & officium tribuimus. Extenditur etiam ad Patres spirituales.

Actus.

1. Parentum conditionem non erubescere.
2. Eosdem timere, revereri & honoreare.
3. Illos amore prosequi.
4. Obedientiam debitam illis præstare.
5. Vixum, aliisque necessaria, si indigerint, illis subministrare, ac periculo eripere.

Confideratio.

Permoveat te, anima mea, ad debitam erga parentes pietatem I. Mandatum Domini: *Honora patrem & matrem.* II. *Vitæ longævæ promissum.* III. *Gratitudo ob plurima beneficia.* IV. *Supplicium & pœna*, si neglexeris: est enim *maledictus à Deo*, qui *exasperat matrem.* Eccli. c. 3. 18. Et quis maledictionis divinæ fulmen non reformidet?

F

Pe-

Petitio.

Domine JESU , qui nos patrem & matrem honorare præcepisti , exemplique tuo nobis præluxisti , dum eis subditus fuisti ; & matrem tuam Joanni commendasti : da nobis , parentes & propinquos , ita secundum voluntatem tuam amare , honorare & colere ; ut dum justa præcipiunt , proximos noverimus ac diligamus ; Dum verò injusta exigunt , quos tanquam adversarios in via Dei experimur , odiendo & fugiendo nesciamus.

Aspiraciones.

I. Audi , Fili mi , disciplinam Patris tui ,
& ne dimittas legem matris tuae , ut addatur gratia capiti tuo. Proverb. c. I. 9.

II. Honora tuos parentes , quia & DEI
Filius suos honoravit ; Legisti enim : Et erat
subditus illis. S. Ambros. L. 8. In Luc.
c. 17.

III. Fac me Domine , parentibus amo-
rem , honorem , & obedientiam præstare in
omnibus tibi non contrariis : Amandus enim
genitor , & præponendus Creator.

S. Aug. serm. 7. de Ver-
bis Domini.

PASSUS XIII.

Obedientia.

TEXTUS.

*Obedite Præpositis vestris, &
subjecete eis. Ad Hebr. c. 13. 17.*

Cognitio.

Obedientia est virtus moralis, hominem promptum efficiens ad præstandam voluntatem, vel præceptum Superioris.
S. Thom. 2.2 q. 104. a. 2.

Actus & species sunt:

1. *Obedientia prompta*, exequendo Superioris jussa, si peccatum manifestum non contineant, promptè.
2. *Obedientia universalis*, est obedire in omnibus, etiam nostræ voluntati & inclinationi contrariis.
3. *Obedientia hilaris*, est, voluntatem nostram abnegare, & Superiori subjicere libenter & hilariter.
4. *Obedientia simplex & cœta* est, iudicium proprium judicio Superioris submittere, nec inquirere causas, sed

- simpliciter sequi, veluti ovicula pastorem. Si quid verò in contrarium occurrat, rationes adhibere, quæ præceptum conveniens esse, convincant.
5. Obedientia fortis & heroica elucet in arduis ac difficilibus, quamvis verbis asperis mandentur, & absque spe gratitudinis, tametsi Superiores minus docti, & minoribus Dei donis instructi videntur.
6. Obedientia muta, absque omni excusatione & replica, sive verbo, sive scripto: quamvis si causa adsit, id prohibitum non sit.
7. Obedientia humilis, est, Superiori demissè obedire, ac sola etiam voluntatis ejus indicia exequi, licet nihil causæ habeat vel ostendat.
8. Obedientia indifferens, quasi in æquilibrio consistens, & ad utramque partem æquè paratam se exhibens, sive sint officia honorifica, sive vilia, sive gustui proprio accommodata, sive contraria; imò ob exemplum & imitationem Christi Domini, in hæc magis propendet.

Consideratio.

O quis obedientiam perfectam non toto corde complecti studeat, si eam, tanquam lignum

Lignum vitæ, duodecim fructus præstantissimos proferentem, intureatur? Est enim I. Lignum vitæ spiritualis & beatæ. II. Ornamentum est, hominem Deo gratissimum efficiens. III. Est decus, nos Christo similimos & acceptissimos reddens. IV. Est cultus gratissimus B. M. V. & purum Sanctis obsequium. - V. Est in Superioribus, ac sociis & qualibus amoris incentivum. VI. Est victorix de vitiis reportandæ aptissimum medium. VII. Est virtutes acquirendi efficacissimum subsidium. VIII. Est salutis proximorum procurandæ præclarissimum instrumentum. IX. Est luculentum prædestinationis signum. X. Opportunum ad merita augenda adminiculum. XI. Lætitiae spiritualis radix & principium. XII. Adversus omnia corporis animæque mala scutum & amuletum. Jube igitur Domine, quod libet, præcipe per Superiores, manda, remanda; ecce paratissimum ad omnia: Domine, quid me vis facere?

Petitio.

Domine JESU Christe, per illam obedientiam, prorsus stupendam, quâ Patri usque ad mortem crucis obediens extitisti; da mihi obedientiam perfectam, quâ in omnibus, libenter, simpliciter, humiliter, velociter, hilariter, fortiter, indifferenter;

cœcè ac perseveranter, Superioribus, tanquam Tibi ipsi obediam; præmiisque & victoriis obtineam: nam vir obediens loquetur victorias. Proverb. c. 21. 28.

Aspiraciones.

I. Domine, quid me viu facere? A&t.
c. 9.

II. Disce obtemperare pulvis, disce te humiliare terra & cinis, & sub omnium pedibus incurvare: disce voluntates tuas frangere. & ad omnem subjectionem se dare: Tho. Kemp. L. 3. c. 13.

III. Orna me Domine perfecta obedientia; quæ melior est, quam victima!

PASSUS XIV.

Gratitudo.

TEXTUS.

Grati estote. Ad Coloss. c. 3. 15.

Cognitio.

Gratitudo est virtus, quâ beneficia ab Galio accepta cognoscimus, laudamus, & pro viribus compensare conamur.

A&tus.

Actus.

1. Beneficium non negare , sed agnosce-
re , & in recenti memoria retinere.
2. Illud debitè æstimare , magni facere,
ac pro eo gratias agere.
3. Beneficium & benefactorem , datâ oc-
casione , laudare & publicare.
4. Benefactorem venerari & amare.
5. Beneficium mutuâ beneficentiâ com-
pensare.
6. Beneficium , etiam intuitu benefacto-
ris honorandi & recreandi , bene im-
pendere.

Consideratio.

Quem , si non brucum , sed homo sit,
ad gratum animum demonstrandum non
iustificat ? I. Benefactoris dignitas. II. Be-
neficiorum multitudo & magnitudo. III.
Benefactoris constantia. IV. Propria utili-
tas. V. Gratitudinis emolumenta & æqui-
tas. Sic enim homo ad ubiores gratias,
donaque nova disponitur. O Domine, mi-
nor ego sum cunctis beneficiis tuis , & de-
ficit præ magnitudine spiritus meus ! Quid
enim est homo , quod memor es ejus ?

Petitio.

Domine Deus meus , si rivj omnes cur-

runt ad mare , & flumina unde exeunt , illi
luc revertuntur; quidni ad Te quoque omnia
dona ac bona tua nobis collata , animo gra-
to referantur ? Cùm verò id absque nova
gratia , dignè præstare nequeam ; opem
& lucem præbe , ut magnitudinem & mul-
titudinem beneficiorum tuorum clarè co-
gnoscam , debitè æstimem , intimè grates
rependam , mèque vicissim gloriæ tuæ to-
tum impendam. Fac me quoque benefi-
cioribus meis in terris , gratum animum
demonstrare , ac par pari illis referre , quo
illi mecum Te laudent & glorificant in
sæcula.

Aspiraciones.

*I. In omnibus gratias agite : hac est enim
voluntas Dei , in Christo Iesu in omnibus.*
1. Thessal. e. 5. 18.

*II. Quid melius & animo geramus , &
ore promazans , & calamo explanemus,
quàm Deo gratias ? Hoc nil dici brevius,
nil audiri lætius . nec intelligi gratius , nec
agi fructuosius potest.* S. Aug. ad Mar-
celli. Epist. 5.

*III. Anima mea , in omnibus gratias age ,
& dic: Deo gratias. Quod primis Christia-
nis , imò & Religiosis , in communi con-
gressu , pro salutatione serviebat. Teste
S. Augustino in Psal. 132.*

P A S S U S X V.

Veritas.

T E X T U S.

*Deponentes mendacium, loqui-
mini veritatem unusquisque
cum proximo suo. Ad Ephes.
c. 4. 25.*

Cognitio.

*V*eritas, seu veracitas est virtus, quâ ver-
bis aut signis , quando & quomodo
oportet , manifestamus res , ad nos aut ad
alios pertinentes , prout in se sunt.

Actus.

1. Mendacium & simulationem corde des-
testari , & ore fugere.
2. Quando , quomodo , & ubi oportet ,
verum dicere.
3. Nunquam ob alterius favorem , aut ob
spem lucri , aut ob metum detrimen-
ti verum celare , vel palliare , si illud
dicere teneamur.
4. Res sicut sunt , simpliciter enuntiare;

F s.

am-

amphibologias vero , restrictiones mentales , duplicitatem & ambiguitatem in colloquiis declinare.
s. Stare promissis , nisi justa causa obstat , & in melius mutare suadeat.

Consideratio.

Ad veritatem diligendam . tuendamque , merito te excitent uberes fructus ex ea promanantes : nam I. Deus est veritas , cui contraria est omnis falsitas. II. In veritate vera libertas ; in mendacio autem fluctuatio & anxietas. III. Nihil eà jucundius , nihil utilius , nihil desiderabilius , nihil invincibilis : *Magna est veritas , & prævalens.* 3. Esdræ c. 4. 4. Hæresesque & errores expugnat ; nam *Veritatu cuneo omni extruditur hæresis* , ut ait Tertullianus contra Marcionem. O veritas magna , utinam prævaleres semper in omnibus!

Petitio.

Domine JESU , Via , Veritas , & Vita ; concede propitius , ut mens , lingua & opera cum veritate concordent ; ut quod sentio in corde , proferam ore , & opere perfici : vota & promissa impleam , veritatem diligam , veritatem liberè proferam , defendam & prædicem : simûlque omnem simulationem , ambiguitatem , falsitatem , & men-

SEMITA PERFECTIONIS. 129

dacium devitem; quia scriptum est: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Psal. 5.

Aspirations.

I. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Psal. 14. 1.

II. Amplexere veritatem, & fruere illâ: delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. S. Aug. de lib. arbit. c. 17.

III. O Spiritus veritatis, qui diligis veritatem, fac me quoque eam diligere!

PASSUS XVI.

Simplicitas.

TEXTUS.

Estote prudentes sicut serpentes,
& simplices sicut columbae.

Matth. c. 10. 10.

Cognitio.

Implicitas est sinceritas, vel candor animi, ab omni dolo, simulatione, & furo alieni, qualis est in pueris & infantibus.
S. Clemens Alexand.

F 6 Actus:

120 SEMITA PERFECTIONIS.

Actus:

1. Talem se exhibere verbis & factis, quæ lis est; nee probitatem, perfectionem, aut sanctitatem, quæ caret, simulare.
2. Directori conscientiæ, pro directione, bona & mala candidè manifestare.
3. In rerum spiritualium cognitione, defectum suum, modicāmque experientiam, ingenuè profiteri.
4. Operibus bonis mala non admiscere, nullius facta pervertere, nullius bona depravare, nullius dona diminuere, neminem lèdere, omnibus velle prædæsse.
5. De Domino Deo & servis ejus in bonitate sentire: & sicut exterioris bona omnibus nos cupere profitemur; ita illis bona interioris desiderare.
6. Operum inutilium multiplicatatem vitare, & bona opera in unam simplicem DEO placendi intentionem colligere.

Consideratio.

Simplicitatis amorem ac desiderium meritò sanè nobis injicit ejusdem amabilis virtutis dignitas & utilitas: nam I. Familiaritatem cum Deo conciliat; quoniam *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Proverb. c. 3.
32. II. Salutem adfert: *Qui ambulat simpliciter, salvus erit.* Proverb. c. 28. 18.

III.

SEMITA PERFECTIONIS 121

III. Ex illius defectu , difficultas salutis
nascitur : Nisi efficiamini sicut parvuli , non
intrabitis in regnum cælorum. Mat. h. c. 18. 3.
Ergo sentite de Domino in benitate , & in
simplicitate quarite illum. Sap. c. 1.

Petitio.

Domine JESU Christe , qui dixisti : Sicut
parvulos venire ad Me , talium est enim
regnum cælorum ; fac me , obsecro , simplit-
tate & sinceritate parvulum , quæ est sa-
pientia justorum : Nihil scilicet per ostenta-
tionem fingere , sensum verbis aperire , vera-
uti sunt , diligere , falsa devitare , bona gratis
exhibere , mala libenter tolerare . quam fa-
cere . nullam injuria ultionem querere , pro
veritate contumeliam , lucrum putare . S.
Gregor. L. 8. moral. c. 38. Et licet hæc
justorum simplicitas derideatur , atque à
mundi sapientibus fatuitas reputetur ; da
mihi nihilominus ab ea nunquam deflectere,
ut non cum mundi sapientibus reprober;
sed cum justis & simplicibus cælorum re-
gnum intrare merear.

Aspiraciones.

I. Impleamus , Domine , illud Apostoli-
tui : Malitia parvuli esse. I Corinth. c. 14.
Deponentes omnem dolum & simulationem
I. Petri c. 2. 1.

II. In simplicitate cordis quarite illum.
Sap. c. 1. i. Cordu enim simplicitas dies est,
quam fraus non obnubilat, non obscurat men-
daciū. S. Gregor. in 4. Psal. Pœnit.

III. Domine, hoc oro, ut simus sinceri
& sine offensa in diem Christi. Ad Phil. c. 1. 10.

PASSUS XVII.

Amicitia.

TEXTUS.

*Amicus fidelis protectio fortis;
qui invenit illum, invenit
thesaurum. Eccli. c. 6. 14.*

Cognitio.

Aamicitia est amor mutua & benevolentiae;
super aliqua communicatione fundatus.
D. Thomas 2. 2. q. 13. a. 3.

Actus:

1. *Benevolentia in affectu, quâ amicus propter se, & non propter bona sua diligitur.*
2. *Concordia in sensu & voluntate.*
3. *Beneficentia in effectu, seu bonorum communicatione.*

4. *Fides & constantia in adversis. Omnis tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.* Proverb.

C. 17. 17.

Consideratio.

O quanto sanctius amicitiam homines colerent, si ingentia ejus bona nōssent? Quanta enim est I. Ejus nobilitas & præstantia? Quid amicitia pretiosius? Ait S. Ambrosius. Quid venerabilius? S. Gregor. II. Quanta necessitas? Qui non diligit, maneret in morte. I. Joan. c. 3. 14. III. Quanta utilitas? Beatus, qui invenit amicum verum. Eccli. c. 25. 12. IV. Quanta jucunditas? Ecce quām bonum & quām jucundum, habitare fratres in unum. Psal. 132. 1. Quis igitur hoc nobile bonum, hoc utile, hoc jucundum non ambiat?

Petitio.

O Beatissima Trinitas, in qua est perfectissima amicitia & charitas, tale à Te humillimè flagito amicitiae donum, quod his conditionibus & proprietatibus gaudeat: 1. Sit inter virtute præditos, ac propter virtutem. 2. Idem in nobis velle & nolle, cor unum & animam unam efficiat. 3. Adsit bonorum communicatio. 4. Sit amor sacerdos, ab omni fuso & fraude alienus.

¶ Con-

134 SEMITA PERFECTIONIS.

5. Conseruat in prosperis & adversis. 6. Ne
amicus corruptio , si opus sit , negligatur.
7.. Arcana sua amico patefaciat. 8. Nihil
durpe , malumve alter ab altero postuleret.
9. Externa comitatis & humanitatis officia-
sibi mutuo declareret. 10. Pro amico animam
ponere sit paratus. Omnia ad laudem &
gloriam tuam sempiternam.

Affirationes.

I. Quam felix est & beatus , qui invenierit
amicum verum. Eccli. c. 25. 12.

II. Revera vita pharmaceutum est , fidus
amicus ; revera protectio foreis est fidus ami-
cus. S Chrysost. hom. 2. in Epist. ad Thess.

III. Tribue mihi Domine , cum proxi-
mis meis veram amicitiam colere. Amicus
fidelis medicamentum vite. Eccli. c. 6. 16.

PASSUS XVIII.

Liberalitas.

TEXTUS.

Beatus est magis dare , quam
accipere. Act. c. 20. 35.

Cogni-

Cognitio.

Liberalitas est virtus, ad liberas largitiones pecuniarum (& aliorum bonorum) sine spe retributionis, inclinans. S. Aug. de defin.

Actus.

1. Bona sua Christo, pauperibusque ad usum, sine tædio communicare.
2. Eadem pro Dei honore & proximorum utilitate liberaliter impendere.
3. Lites fugere, & potius suo jure cedere, quam alios impugnare.
4. Alterius preces donando prævenire.
5. Liberali & benevolo affectu offerre.
6. Citò offerre, quod quis dare decrevit.
7. Non diu differre negationem, si dari nequeat, quod petitur.

Consideratio.

Ingens ad liberalitatem se standam, assidueque exercendam stimulus est, ejusdem excellentia: nam **L**iberalitate nihil divinius: Deus enim dat omnibus affluenter. Jacobi c. 1. 5. Dives & liberalis in omnes. II. Nihil Christo Redemptori nostro similius, qui nobis dat corpus, sanguinem, animam, vitam, & omnia. III. Nihil est naturæ hominis accommodatus. Cicero L. 1. offic. ait: **Nihil ad amorem proximi conciliandum efficitur.**

136 SEMITA PERFECTIONIS.

scacius. Nihil ad bona opera & merita au-
genda convenientius. Ergo dum tempus ha-
bemus, operemur bonum ad omnes. Ad Gal.
C. 6. 10.

Petitio.

O Deus liberalissime ! Concede mihi,
ut liberalitati tuæ infinitæ , pro modulo
meo respondeam ; dein verò 1. Liberaliter
quidem , sed circumspectè , habita ratione
circumstantiarum , loci , temporis , per-
sonæ , necessitatis & dignitatis. 2. Dein
ita amicis , ut non denegem inimicis , at-
que etiam ingratis : sicut & Tu Solem tuum
oriri facis super bonos & malos. 3. Dein
libenter , hilariter , celeriter , liberaliter ,
ræcite potius , quam palam ; cavens tamen ,
servando medium , ut nec parcitate ad ava-
ritiam , nec nimietate ad profusionem de-
clinem : ac denique beneficiorum memo-
riam non refricem ; sed oblivioni tradam ;
ut hac ratione divinam liberalitatem tuam
quodammodo imiter , qui das omnibus af-
fluenter , & non improperas , ac pluis su-
per justos & injustos.

Aspirationes.

1. In omni dñe hilarem fac vulnus. Ec-
cli. c. 35. ¶. 11. Hilarem enim datorem dili-
git Dñs. 2. Cor. 9. ¶. 7.

II. Nihil tam divinum habet homo, quam
de aliis bene mereri. S. Greg. Nazian. Orat.
de paup. amore.

III. O Deus liberalissime! mihi vi-
tium tenacitatis adime, & liberalitatis vir-
tutem concede.

PASSUS XIX.

Fortitudo.

TEXTUS.

*Vigilate, stete in fide, viriliter
agite, confortamini. 1. Cor-
inth. 16. 13.*

Cognitio.

Fortitudo est virtus animi, quâ labores,
mortisque pericula, & aliae difficultates
ocurrentes suscipiuntur & perferuntur.

Actus.

1. Pericula mortis, & ipsam mortem intre-
pidè sustinere, maximè causâ fidei,
aut alterius virtutis.
2. Menter in adversis & prosperis ita
robore, ut neque in illis vincatur,

ne-

138 SEMITA PERFECTIONIS.

- neque in his extollatur , & à virtutis
semita abducatur.
3. Tentationes dæmonis intrepidè sustine-
re , & fortiter rejicere , ac scipsum
generosè vincere.
 4. Ardua quæque cum magna in Deum
fiducia aggredi.
 5. Mentis tranquillitatem in rebus arduis
retinere.

Consideratio.

Cui ad fortitudinem seständam , exer-
cendámque calcar non addat I. Dei bene-
placitum. II. Christi Domini nostri exem-
plum. III. Magnitudo præmiorum. IV.
Exempla sanctorum Machabæorum , Ste-
phani, Laurentii, Agnetis, & innumeriorum
aliorum generosorum Christi athletarum.
V. Zelus animarum , qui in eo exercetur.
VI. Confusio & debellatio dæmonum. O
si Deus pro nobis , quis contra nos ? Omnia
possum in ea , qui me confortat. Ad Phi-
lip. c. 4. 13.

Petitio.

Deus refugium meum & virtus , ita-
pectus meum robora ac confirma , ut cum
S. Chrysostomo : Quidquid terroris habet
mundus , contemnam ; quidquid delecta-
bile habet , rideam : divitias non cupiam:

Rau-

paupertatem non horream, & mortem ipsam
non pertimescain.

Aspirationes.

I. Viriliter age, & confortetur cor tuum.
Et sustine Dominum. Psal. 26. 14.

II. Ecce Domine, ut de temporalibus nec
lugeam, nec gaudeam; nec me tuam aliquid
temporale, nec diligam; nec blandis corrumpar,
nec adversis concuissar. S. August.
med. c. 35.

III. Fortitudo & laus mea Dominus.
Exod. 15. 2. Largire mihi robur spiritus!

P A S S U S XX.

Patientia.

T E X T U S .

Patientia vobis necessaria est,
ut reportetis promissionem.

Hebr. 10. 36.

Cognitio.

PAtientia est virtus, quâ mala hujus sæ-
culi æquo animo sustinemus; ita ut
propter illa, nec interius immoderatetur
be-

bemur ; aut tristemur , nec exterius aliquid ab honestate aut decore alienum admittamus. J. Alvarez.

Actus.

1. Ea quæ quis adversa patitur , delictis suis imputare ; atque ad malum à Deo, proximove illatum tacere.
2. Non se excusare , non lacrymas fundere , non à locis aut personis discedere , à quibus patientiæ materia præbetur.
3. Primò patienter , deinde libenter , deinde hilariter pati adversitates.
4. Non petere , tolli tribulationes , sed afflictiones desiderare.
5. Pro tribulationibus gratias agere ; & adversarium , mali causam , velut singularem benefactorem agnoscere , excusare , amare , laudare , pro eodem orare.

Consideratio.

Si in pilulis medicis , delitescens sanitas , amarorem earum vertit in dulcedinem : quid thesauri , in patientia ac cruce latentes , in homine Christiano non efficient ? I. Quanta enim in patientia latet *dignitas* ; quæ nos Deo facit appropinquare ; Christo & martyribus similes evadere. II. Quanta in patientia recondita est *utilitas* , cùm in

in ea lateat virtus , vitia curandi , pœnas
ignis purgantis extingueendi , virtutes ac-
quirendi , salutisque æternæ securitatem
assequendi. III. Quanta illi inest *jucundi-
tus* ; cùm sit signum Divini in nos amoris,
nostræque erga ipsum dilectionis exerciti-
um potissimum , gustum illi ac voluptatem
afferens. IV. Quanta *necessitas* ; cùm sta-
tus Christiani , status peccatoris , status Rel-
ligiosi , status vitæ humanæ eam omnino
postuleret atque requirat ? O quis igitur pilu-
las istas adeò salutares ac necessarias , non
dulces putet , & libenter deglutiat ?

Petitio.

Domine JESU , omnis patientiæ perfe-
ctissimum prototypon , concede mihi si-
gularem tolerantiae virtutem , in quinis his-
ce fontibus potissimum relucentem : 1. In
frigore & calore , in siccitate & pluvia , in
fulgure & tonitru , cæterisque aëris tem-
pestatibus. 2. In doloribus & morbis cor-
poris , in melancholia & tædio , in tristitia
& fatigatione , in fame & siti , in penuria
& egestate. 3. In moribus & inclinationi-
bus hominum , mihi contrariis , perferendis.
4. In ignominia , contemptu , degradatione ,
in damnis amicorum , in persecutione , mar-
tyrio , morte. 5. Denique in tristitia & an-
xietate spiritus ; in desolatione & siccitate;

in

142 SEMITA PERFECTIONIS.

in distractionibus & obscuritatibus; in scrupulis & temptationibus dæmonis. Ut impleam illud Jobi : *Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum!* Et illud Apostoli : *Omne gaudium existimat fratres, cum in variis temptationes incidetis. Iacobi c. i. 2.*

Aspiraciones.

I. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU Christi. Ad Gal. 6. 14.

II. O quam multus & graves tribulaciones passi sumus Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & reliqui omnes, qui Christi vestigia sunt secuti. Thom. Kemp. L. I. c. 18.

III. Domine, hic patientiam, postea indulgentiam! S. Laurent. Justin. In patientia vestra, possidebitis animas vestras. Lucæ c. 21. 19.

P A S S U S X X I .

Perseverantia.

T E X T U S .

Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. Matth. c. 10. 13.

Cogni-

Cognitio.

PERSEVERANTIA est virtus, quâ in bonis operibus ad finem usque persistimus; & molestiam ex rei laboriosæ diuturnitate provenientem superamus. I. Alvarez.

Actus:

1. Laborem virtutis, ex temporis diuturnitate provenientem tolerare ac vincere.
2. Non obstante eo labore, virtutis opera continuare; & in eo, quod semel cœptum est, stabiliter permanere.
3. Nec amore vitæ, nec timore mortis, nec minis, nec promissis, à rectitudine deflectere.

Consideratio.

Præteritis aliis SS. Patrum testimoniis, Augustini duntaxat & Bernardi sententias expende, atque in amore perseverantiae solidaberis. I. S. Augustinus præclarum hoc illi tribuit elogium: *Perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronas pugnantem, ducit ad bravium, conductus ad portum.* II. Pergit idem Sanctus: *Hac laureantur Martyres, coronantur Virgines, Sacerdotes sublimantur & Confessores. Hac*

G est

est vestu sine ruga, tunica sine macula, bonitas sine malitia. Ad Fratres de Eremo serm. 8. III. Nec minus Doctor mellifluus, encomia multa, paucis complectitur: *Proflus, inquit, absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur.* Illa est vigor virium, virium consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad primum. Soror est patientia, constantia filia, amica pacis, amicitarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. O utinam illa nos coronaret! Utinam ad æternitatis felicis portum nos perduceret!

Petitio.

Salvator mundi dilectissime, qui opus redemptionis nostræ cœptum, tanto labore & constantia perfecisti, dicens: *Opus consummavi, quod dedisti mihi.* Joan. 17. Per vulnera tua sacrosancta obtestor Te, da mihi, meisque in bono usque ad supremum anhelitum perseverare; & sic currere, ut bravium comprehendamus: quid enim juvat Te sequi, si non contingat assequi?

Aspiraciones.

I. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vita.* Apoc. c. I. 10.

II. *Reple me, Domine, tuis sanctis virtutibus,*

tibus, & fac me bonis pollere moribus; fac me
in sanctis operibus tuis, propter nomen sanctum
tuum, perseverare usque in finem, secundum
voluntatem tuam. S. Aug. med. c. 12.

III. Vbi est fides tua? Sta firmiter & per-
severanter. Esto longanimis & vir fortis,
& veniet tibi consolatio in tempore. Thom.
Kemp. L. 3. c. 31.

NB. Huc pertinet Virtus constantiae,
quæ in eo differt à perseverantia, quod dif-
ficultates aliunde, quam à diuturnitate pro-
venientes, superet.

P A S S U S XXII.

Temperantia.

TEXTUS.

*Omnia disposerit in mensura,
numero & pondere. Sap. c. II.*

Cognitio.

TEmperantia est virtus moralis, cujus
præsidio, passiones appetitus concipi-
scibilis frœnamus, & reprimimus, quæ
circa delectabilia sensuum, præcipue gustus
& tactus versantur. Ad quorum duorum
G 2 sen-

sensuum functiones, aliorum sensuum actus
ordinantur, *i. Alvarez.*

Actus:

1. In rebus ad corporis voluptates pertinentibus, omnem honestatem, & morum decorum amplecti.
2. Omnem turpitudinem per honestam verecundiam timere: & de his, quæ mentis munditiae repugnant, erubescere.
3. In voluptatibus corporis assumendis, pro mensura non aliud, quam necessitatem habere.

Consideratio.

Quem ad temperantiae amorem non inflammant insignes & multiplices ejus fructus & effectus, quos S. Prosper luculento præconio complexus est, dum ait: I. Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. II. Hæc virtus, si in animo habitat, passiones frenat, effectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, & ordinata corroborat. III. Hæc virtus cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animi regorem desiderio futuræ

re-

remunerationis accedit, mentem tacitam
tranquillitate componit, & totam semper
ab omni vitiorum tempestate defendit.
Ita ille. O si hæc virtus me ornaret, frœ-
naret, componeret & defenderet!

Petitio.

Concede quæsumus, omnipotens Deus,
nobis temperantiae perfectæ virtutem, ne
concupiscentia dominetur in nobis, & ne
regnet peccatum in nostro mortali corpore;
sed semper honestè ambulemus, non in
comissionibus & impudicitiis, & indua-
mus Dominum nostrum JESUM CHRISTUM,
cui sit honor & gloria in sæcula.

Aspirationes.

I. Obsecro vos, tanquam advenas & pere-
grinos, abstinere à carnalibus desideriis. 1.
Petri 2. 11.

II. Iussisti Domine, & sic est, ut pœna sua
sibi sit, omnis inordinatus animus. S. Aug.
L. i. Conf. c. 12.

III. Domine, orna me virtute tempe-
rantiæ, quâ sensus cohibeam, & facultates
animæ.



PASSUS XXIII.

Abstinentia.

TEXTUS.

*Qui autem abstinenſ est, adi-
ciet vitam. Eccli. c. 37. 34.*

Cognitio.

Abstinentia est virtus, quā voluptatem
in usu ciborum sitam, refraenamus,
& debitum modum in eorum sumptione
constituimus. D. Thom. 2. 2. q. 146.

Actus:

1. A cibis vetitis, tempore praescripto, abstinere.
2. Jejunia Ecclesiastica servare, & aliqua etiam non præcepta suscipere.
3. Tempus consuetum reficiendi corpus observare.
4. Cibos launiores & pretiosiores, si necessitas aut charitas non exigat, fugere & aversari.
5. Communes cibos, non exquisitè præparatos, sed quomodocunque oblatos libenter comedere.
6. Quan-

6. Quantitatem ciborum , saluti corporis necessariam , & saluti animæ non officientem , tantum accipere.
7. Ante comedionem cogitationes de cibis penitus abscindere , & in ipsa comedione æstum & nimiam aviditatem cohibere.
8. Ex quantitate & qualitate esculentorum ea omnia subtrahere , quæ saluti corporis non nocent , & puritati mentis deserviunt.

Consideratio.

Quoniam contraria juxta se posita clariùs eluescunt , S. Laurentium Justinianum, gulam & abstinentiam cum suis fructibus inter se opponentem audiamus , ut hujus virtutis amore succendamur. I. Quid mali, inquit , ex gulæ inordinatione , & ventris repletione non oritur? Est enim fomes libidinis , flagitorum omnium mater , radix criminum , origo vitiorum , turbatio capitis , stomachi lassitudo , subversio sensus, tempestas linguæ , procella corporis , naufragium castitatis. II. Est infania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia , animæque corruptela : confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, & incurrit in damnationem æternam. III. Ex

150 SEMITA PERFECTIONIS.

adverso idem Sanctus collocat encoriurn
abstinentiæ, dum inquit: Abstinentia sani-
tas est corporis, valetudo membrorum,
mors culpæ, excidium delictorum, reme-
diū salutis, radix gratiæ, vitæ diutin-
tas, & fundamentum castitatis. O quam
pestiferi fructus gulæ! Quam salutares ab-
stinentiæ! Elige.

Petitio.

Domine Deus meus, largire mihi virtu-
tem abstinentiæ, quâ abominabiles gulæ
fructus respuam; abstinentiæ nobilissimos
eligam, ad gloriam tuam sempiternam.

Aspirationes.

I. Impleam Domine id, quod mandâsti
Prophetæ, Cibus tuus, quo vesceris, eris
in pondere & mensura. Ezech. c. 4. 10.

II. A Paradisi gaudijs per cibum cecidi-
mus: ad hac, quantum possumus, per absti-
nentiam resurgamus. S. Gregor. in homil.

III. Da mihi, Domine, nimium cibo-
rum appetitum rationis imperio frœnare.
S. Laurent. Justin.



PASSUS XXIV.

Sobrietas.

TEXTUS.

Fratres, sobrij estote, & vigilate. 1. Petri 5.

Cognitio.

Sobrietas est virtus, quæ moderatur potum, non quemcunque, sed eum, qui suâ fumositate, natus est caput conturbare, sicut vinum, & omne, quod inebriare potest. D. Thom. 2. 2. q. 146.

Actus.

1. Potum vini, aut alterius rei inebriantis sic assumere, ut nullo modo usum mentis obtenebret.
2. Ita ab hujusmodi potu temperare, ut corpus quidem ad functiones virtutis roboret; non tamen motus impuros excitet, nec ad minus decentia confortet.
3. Delicias in potu non querere; sed communis vino, cerevisiâ, aquâ, secundum

- dùm morem regionis , ac statum no-
strum , acquiescere .
4. Desiderium , quo ad potum inhiamus ,
comprimere , neque in potu mentem
effundere .
5. Aliquando ex desiderio virtutis , à po-
tu necessario abstinere , & aliquam si-
tim corporis saluti non officientem
pati .

Consideratio.

O sancta sobrietas , quàm modicè cole-
ris ? Quàm parùm diligenteris , & observaris ,
in hisce præsertim Germaniæ nostræ parti-
bus ? I. O quoties miserè vapulas in nu-
ptiis , in encæniis , in primitiis , in patro-
ciniis , in investituris religiosis , in bap-
tismatibus , & quibuscumque aliis convi-
viis ! Et tamen quid te purius , quid san-
ctius , quid salubrius , quid homine chri-
stiano ac religioso convenientius ? II. Econ-
trario , cui vœ , cuius Patri vœ , cui suffu-
sio oculorum ; nonne his , qui commoran-
tur in vino , & student calicibus epotandis ?
III. O quanta oppositæ ebrietatis sunt de-
rrimenta ! Ebriosus enim , cùm absorbet , ab-
sorbetur à vino , abominatur à Deo , de-
spicitur ab Angelis , deridetur ab homini-
bus , destituitur à virtutibus , confunditur
à damonibus , conculcatur à bestiis . S. Am-
broſ.

bros. L. de pœnit. O quis hæc perpendens
sobrietati se non dedat ac devoveat? Quis
contrariam ei ebrietatem, non cane pejus
& angue refugiat?

Petitio.

Concede mihi, Domine Deus meus,
sobrietatem studio singulari semper colere,
ebrietatemque devitare; ut damna hujus
horrenda evadam: nec cum Noë confun-
dar, cum Loth turpiter cadam, cum Ho-
loferne inteream, cum divite Epulone in
infernum descendam; sed cum Sanctis in-
numeris sobrietatis amatoribus, mente sem-
per bene dispositâ, Te laudem & glorifi-
cem. Amen.

Affpirationes.

I. Nolite inebrari vino, in quo est luxuria.
Eph. 5. v. 18.

II. Adolescentia & vinum, duplex est
voluptatis incendium; quid oleum flamma
adjicimus? *S. Hieronymus.*

III. Largire mihi Domine sobrietatem
perpetuam, ne unquam diabolus tanquam
leo rugiens, me devoret.

PASSUS XXV.

Jejunium.

TEXTUS.

Sanctificate jejunium. Joëlis c. 2.

Cognitio.

Jejunium est insignis abstinentiae ager, ad bonum honestum ordinatus, nimirum ad concupiscentias carnis reprimendas, mentem ad contemplandas res cœlestes sublevandam, & satisfaciendum pro peccatis.
S. Thom. 2. 2. q. 146.

Actus.

1. Jejunia præcepta observare, ut Quadragesimam, quatuor Tempora, & Vigilias.
2. Unicâ refectione contentum esse.
3. Nonnunquam addere jejunium ex devotione.

Consideratio.

Nemo non jejunium adamaret ac frequenteret ; si virtutem ejus & energiam perspiceret atque penetraret : nam I. Jejunium misericordiam Dei conciliat , orationem no-

nostram gratiorem efficit, carnis tentationes retundit, Angelis similes reddit, vitam prolongat. *Qui abstinent est, adjiciet vitam, corporis, animæ, gratiæ, gloriæ.* II. Innumera sunt sanctorum Patrum encodiaa jejunii, ex omnibus unum, duntaxat, in sero, ex S. Ambrosio, serm. de Elia & jejun. Quid est, inquit, jejunium, nisi substantia & imago vitæ cœlestis. Jejunium est refectio animæ, cibus mentis, vita Angelorum, mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis. III. Infinita sunt jejunantium & hanc virtutem jejunii expertorum exempla; quales fuere Moy-ses, Elias, Esther, Judith, magnus Christi Baptista Joannes, Apostoli, cum aliis innumeris. O si horum vestigia, pro modo meo, legerem!

Petitio.

Domine, qui corporali jejunio, vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia; gratiam jejunandi mihi concede, ut prædicta consequar, ad laudem & gloriam tuam sempiternam. Amen.

Aspiraciones.

I. *Bona est oratio, cum jejunio & elemosyna, magis, quam thesauros aurum recon-dere.* Tobiæ c. 12. 8.

156 SEMITA PERFECTIONIS.

II. *lejunemus*, ut *Passionis Christi particeps simus*. S. Chrysost. hom. 2. de jejunio.

III. *Da mihi Domine*, cum S. Joanne Baptista, cum S. Paulo, & aliis Apostolis, servire tibi, in *jejunijs multis*.

PASSUS XXVI.

Castitas.

TEXTUS.

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. 1. Thess. c. 4. 3.

Cognitio.

Castitas, quæ & puritas; & sanctimonia, & sanctificatio nuncupatur, est virtus, quæ ab impuris voluptatibus abstinemus. Vel ut definit S. Augustinus: *In carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* L. de Virgin. c. 13.

Actus:

1. *Illicitos carnis actus eliminare.*
2. *Insurgentia carnis desideria elidere, cogitationesque carnales statim, non secus atque carbonem ignitum excutere.*
3. *Turpes corporis motus pro vinibus re-pri-*

primere : aspectum & tactum , occasio-
nésque ad opus nefarium provocan-
tes , aut carnis pruritum excitantes
fugere, ac fortiter cohibere.

4. Ab omni etiam licto carnali commer-
cio , quale in matrimonio reperitur,
abstinere.
5. Ex desiderio castitatis , ita mentem
meditationibus sanctis occupare , &
corpus abstinentia atque asperitatibus
domare, ut hæc passio, pro vitæ hujus
fragilitate, in vigilia nos deserat, & in
somno immundæ illusiones nos re-
linquant.

Consideratio.

O si virtutis hujus angelicæ prærogativas
& præmia probè intelligeremus , quanto
cor nostrum ejus succenderetur amore ? Ex
omnibus SS. Patribus, ea magnificè depræ-
dicantibus, unum audiamus S. Athanasium
L. de Virg. sic exclamantem , & paucis
multa ejus præconia perstringentem : I. O
Virginitas corona , qua nunquam marcescit;
templum DEI ; sacrarium Spiritus Sancti;
gemma pretiosissima ; à paucis inventa , à
multis odio habita , à solis dignis optata !
II. O continentia mortem destruens, possidens
verè immortalitatem ! Tu es gaudium Pro-
phetarum, gloria Apostolorum, vita Angelo-
rum,

158 SEMITA PERFECTIONIS.

rum, & corona Sandorum. III. O divina
castitas, beatus, qui te obtinet, & conser-
verretinet! Modicum enim laborabit, & plu-
rimum in se ipse gaudebit. Igitur O casti-
tas, quæ carnem castigas, & in servitutem
redigis, & animæ alas ad cœlestia adjungis,
condecora me!

Petitio.

Domine JESU Christe, castissime ani-
marum castarum Sponse; munda me virore
gratiæ tuæ; & castitatis flore me exorna,
ut Tibi, purissimæ Matri Tuæ, castissimo
Nutritio Tuo, nec non S. Joanni Baptiste
& Evangelistæ, intimis amicis tuis, quodam-
modo assimilari in hac vita merear, & post
illam castimoniacæ aureolâ potiri, Téque
Agnum in cœlo sequi valeam, quocunque
ieris, & cantare Canticum novum, quod
nemo cantare potest, nisi virgines.

Aspirationes.

I. O quam pulchra est casta generatio cum
claritate! Sap. c. 4.

II. Contineniam jubes, Domine, da quod
jubes, & jube quod vnu. S. Aug. L. 10. Confess.

III. O castitas, mater dilectionis, & an-
gelicæ vitæ ratio, orna me! O castitas, quæ
mundo es corde, posside me!

PAS-

PASSUS XXVII.

Maceratio.

TEXTUS.

*Si secundum carnem vixeritis,
moriemini; si autem spiritu
facta carnis mortificaveritis,
vivetis. Ad Rom. c. 8.*

Cognitio.

*C*orporis maceratio est, cum quis spon-
tè operibus poenitentia corporis suum casti-
gas, & in servitutem redigit, ut in omni-
bus caro spiritui subjaceat. S. Albertus M.
in Parad. c. 38.

Actus.

1. Corpus asperitatibus exterioribus cru-
ciare, ut disciplinis, ciliciis, vigiliis,
jejuniis, genuflexionibus, humicuba-
tionibus, orationibus, expansis brachiis,
abstinentiâ cibi potusque delicioris.
2. Carni superflua negare, ac sola in cibo,
potu, indumento, necessaria conce-
dere.

3. Mor-

g. Morbos, aliásque corporis afflictiones,
& molestias, ex sine macerandi carnem,
æquanimiter tolerare.

Consideratio.

O si ingentes ex carnis maceratione re-
sultantes perpenderemus cœbriùs utilitates,
quanto alacriores, ferventioresque in cor-
pore castigando evaderemus? Juvat enim
illa plurimùm I. Ut spiritus noster in nego-
tiis spiritualibus roboretur. II. Ne ex car-
nis mollitie, vigor spiritu in spiritualibus
hebetetur. III. Ut mens in oratione &
contemplatione alacriùs ad Deum elevetur.
IV. Ut de vitiis victoria reportetur. V. Ut
carne mortui, Deo unicè vivamus, & amore
intimo illi uniamur. O quis igitur carnem
suam non oderit? Quis eam non strenue
castigaverit, ut tantos fructus inde perci-
piat?

Petitio.

Domine JEsu Christe, qui sanctissimam
& innocentissimam carnem tuam flagellis,
spinis, clavis, jejunii, humicubationibus,
aliisque asperitatibus divexari voluisti; con-
cede nobis propitius sanctum carnis nostræ
odium, ut eam amore Tui jugiter macere-
mus, ne ignibus maceremur æternis. Qui
edit animam suam (& corpus) in hoc mun-
do,

do, in vitam eternam custodit eam. Joan.
C. 12.

Aspirationes.

I. Facite fructus dignos penitentia. Matth.
C. 3.

II. Da nobis, Domine, ad Te placandum,
orare impensius; diem luctu transigere; vigi-
lijs ac fletibus noctes ducere; stratos solo ad-
barere cineri, in cilicio & ferdibus voluntari.
S. Cyprian. serm. de lapsis.

III. Anobis ultionem sumamus; ita pla-
cabimus Iudicem. S. Chrysost. hom. 41.
ad pop.

PASSUS XXVIII.

Mansuetudo & Clementia.

TEXTUS.

Discite à Me, quia mitis sum;
& invenietis requiem. Matt.
C. II. 27.

Cognitio.

MAnsuetudo seu benignitas est, cùm
propter illatas injurias, mens nequa-
quam

quam irâ exacerbatur ; nec amaritudo cor-
dis exterius indicatur : sed est quasi homo
non audiens , & non habens in ore suo re-
dargutiones. S. Alb. in parad. c. 19.

Actus.

1. Injuriis & contumeliis in nos jactatis
filere, nec in exteriorem iræ significa-
tionem erumpere.
2. Iram interius cohibere , & variis con-
siderationibus , aptisque mediis frœ-
nare.
3. Cor nostrum ad serenitatem , ac tran-
quillitatem inducere , ac tandem ip-
sum inter injurias pacare.
4. Injuriâ nos affidentibus , vultûs sere-
nitate, blandis verbis, & molli sermo-
ne respondere.
5. Injuriantibus beneficia libenter imper-
tire , pro eis orare , & ex animo illis
parcere : ac denique injurias oblivioni
tradere.

Consideratio.

Si Dei Optimi Maximi, Christi Redem-
ptoris nostri, aliorūmqne Sanctorum man-
suetudinem admirabilem ob oculos pon-
amus ; quis hujus virtutis amore non capia-
tur ? Præsertim si plurima ejusdem commo-
da quoque perpenderimus. Mansuetudo
enim

enim I. nos Deo gratos efficit. II. Christianos vel maximè decet, & ornat. III. Naturæ nostræ valde est consentanea. IV. Optimum ad alios gubernandos est instrumentum. V. Medium est efficacissimum, ad animos amicorum pariter & inimicorum conciliandos. VI. Singularem, ad quidvis impetrandum, orationibus nostris efficaciam conciliat. VII. Non parum denique ad carnis tentationes reprimendas, adjuvat. Quis igitur animum non mitiget, ut hæc emolumenta obtineat?

Petitio.

Redemptor amantissime, mansuetudinis Magister excellentissime, qui in summis injuriis, velut agnus coram tondente obmutuisti; doce me exemplo tuo, in mentis afflictione non murmurare: mordentes verbo non remordere; in facto amaritudinem non demonstrare; sed quietum animum, ad Dei habitaculum, semper reservare; ut beatorum cœli civium terram possidere merear. Amen.

Aspiraciones.

I. Beati mites, quoniam ipse possidebunt terram. Matth. c. 5. 4.

II. Creator meus, evelle à me animiran-
corem, & largire mihi misericordie dulce-
dinem. S. Aug. med. c. I.

III. In mansuetudine opera tua perfice,
& super hominum gloriam diligere. Eccli.
c. 3. 19.

N.B. Huc quoque spectat clementia, quæ est virtus, quâ ad moderatè punendum mitescimus, & poenam delinquentibus infligendas moderamur. Defectus aliquos, non nimis graves, aliquando dissimulamus, ut graviores caveantur ; & ne subditi protervi evadant. In malignos tamen & procales severitate utimur, si aliter in officio contineri nequeant. Similiter in eos, qui lèdent bonum commune : dum enim in unum membrum sœvimus, in totum corpus clementes nos exhibemus. Intuenda clementia Dei, & Domini nostri JESU Christi prorsus admiranda.

PASSUS XXIX.

Humilitas.

TEXTUS.

*Discite à Me, qui mitis sum,
& humilis corde. Matth.
c. 11. 27.*

Cogni-

Cognitio.

HUmilitas est virtus, quâ homo verissimè
mâ sui cognitione sibi ipsi vilescit. S.
Bernardus.

Actus & motiva.

1. Seipsum intimè cognoscere, & omnia bona sua, tam naturalia quam supernaturalia, aliena esse, nempe Dei, verissimè positeri: & se ex se nihil boni habere, aut posse, sine ulla fictione cogitare, ac certissimum tenere. Cogita igitur, quid fuisti, quid es, quid eris? Quid potuisti, quid potes, quid poteris? Quid meruisti, quid mereris, quid merebis? Ante centum annos quid eras? Nihil: & minus quam formica.
2. Seipsum despicere, & quoad ea, qua ex se haber, seipsum vilipendere. & in quacumque re etiam minima, de seipso diffidere. Qualem te cognovisti in primo gradu, talem te aestimare debes in secundo: scilicet tanquam lutum, fordes, nihil, peccatorem inferno dignum; immò dæmonibus ipsis pejorem, qui semel duntaxat peccârunt, tu toties. Deinde diffide tibi penitus. Sine me nihil potestis facere: ait Christus Joan. 15. Et non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra

*fera ex DEO est. Inquit Apostolus 1.
Corinth 3. 5.*

3. *Se omnium minimum reputare, omnibus
Dei donis indignum, & ad nova recipien-
da ineptum. Talem se quisque potest,
sine ulla falsitate, estimare; quia secun-
dum ea, quæ ex se habet, reverè talis
est. Expende tuam fragilitatem, vili-
tatem, miseriam, ingratitudinem, ma-
litiam, peccatorum multitudinem tuo-
rum; non aliorum, quas ignoras, &
illis te conforma.*

4. *Non cupere ab aliis magni estimari,
honorari, laudari, anteferri; sed omnem
honorem & laudem in Deum transferre.
Sequitur ex gradibus antecedentibus:
quid enim? Vas sordium, esca vermi-
um, mortis spolium, titio flammorum
infernalium, honorem & laudem ca-
ptabit? Quanta insania? Non nobis, Do-
mine; non nobis; sed nomini tuo da glo-
riam. Psal. 113. 9.*

5. *Desiderare, quantum in nobis est, con-
temni ab aliis, & viles haberi; nisi per-
sona dignitas, officii qualitas, proximo-
rum edificatio, & Dei gloria aliud requi-
rant. Intuere exemplum Christi summè
contempti, despici, concutisti, cru-
cifixi, & Apostolorum, aliorūque
Sanctorum. An tu melior es illis? Tunc*

in veritate humilis es; si semper & ubique tanto studio & fervore contemptum & vilipensionem desideres ac queras, quanto mundani ambitiosi, honorem & gloriam.

6. *Defectus propriis libenter detegere, & ingenitam vilitatem declarare, nisi fratrum adificatio, & voluntas Dei aliud faciendum esse suadeat. Ad hunc gradum obtainendum, candidè aperi peccata tua in confessione sacramentali; & ratione conscientiae: defectus, lapsus & errores, coram Superiore, si examineris, libenter fatere, & noli negare. Item coram aliis defectus naturales, & morales leviores, si ædificatio adsit, detege. Superbia claudit, quod humilitas aperit: Humilitatis filia est, sui ipsius accusatio.*
S. Dorotheus doctr. 2.
7. *Dolere quod magnificat, & honoretur, nisi ob gloriam Dei, ratione officii, & dignitatis quam gerit. Et omnem gloriam, autoritatem, honorem, quem vitare nequit, in Deum referre.*

8. *Subjicere se Deo, tanquam mancipium Domino, tanquam luitum figulo, ut de se, ad suum beneplacitum, in hac & in altera vita disponat. Humiliamini sub potenti manu Dei. 1. Petri. 5. 6.*

9. *Subjicere se hominibus propter Deum, præ-*

cipuè Superioribus, sincerèque se sine ulla difficultate gubernari. Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.
1. Petri. 2. V. 13.

10. In externis functionibus, quantum in se est, abjectiora complecti; ut sinistrum latius in congressibus, infimum locum in confessibus, officia minus honorata, deteriora vestimenta, cubicula, supellecilia, socios simpliciores, &c cetera hujusmodi. Si quis verò ista re ipsâ nequeat, saltem affectu amplectatur: nam in opere debet se accommodare muneri ac dignitati, quam gerit. Recumbe in novissimo loco, ait Christus, Lucæ c. 14. 10. Ipse Redemptor noster ubique & semper elegit viliora, stabulum, præsepe, patibulum.

11. Seipsum ad omnia inutilem, & in spectu Dei & hominum, tanquam canem mortuum & fætentem reputare, quem omnes fugiant, & conspectum ejus aversentur. Talem se reputabat David, dicens: Quid persequeris canem mortuum, & pulicem unum. 1. Reg. 24. 15. Canis mortuus & hujusmodi naturalia, coram Deo & Angelis non fætent; sed peccata: hæc enim sunt coram illis omni sorde, omni cane, omni fele, serpente, bufone & dracone fædiora & graveolentiora.

12. Silentium in confusionibus, accusationibus,

bus, increpationibus, degradationibus servare, & in his gaudere, exemplo Christi, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Hebr. c. 12. 2. Hic apex humilitatis est, ad quem ut condescendamus, à minimis, indies occurrentibus, auspicandum est; graviora enim occurunt rarius, ad quædamen; per minora ascendendo & superando, ope divinæ gratiæ, tandem pertingimus.

Petitio.

Salvator demississime, qui humiliasti Te usque ad mortem, mortem autem crucis ignominiosissimam, ac propterea exaltatus es: concede mihi veræ humilitatis virtutem; ut Tibi evadam similior, gravior, & ad capessenda humilium præmia aptior, ad gloriam tuam perpetuam. Amen.

Aspiraciones.

I. Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Eccli. c. 3. 20.

II. O quam profunde submittere me debet, sub abyssibus iudicii tuis, Domine, ubi nihil aliud me esse invenio, quam nihil & nihil. Thom. Kemp. I. 3. c. 14.

III. Humiliamini sub potenti manu Dei;

*ut vos exalitet in tempore visitationis. I. Pe-
tri c. 5. 6.*

PASSUS XXX.

Paupertas.

TEXTUS.

*Qui non renuntiat omnibus,
quæ possidet, non potest meus
esse discipulus. Lucæ c. 14. 33.*

Cognitio.

Paupertas est omnium rerum temporaliū, ob amorem Dei, & desiderium perfectionis, voluntaria abdicatio. Mundanorum dīvitū paupertas Spiritū in hoc sita est, ut bonis suis cor non affigant; secundū illud Vatis Regii: *Divitiæ si af-
fluant, nolite cor apponere. Ps. 61. II. Utrūm
verò cor apposuerint & agglutinati fuerint,
in infortunio aut amissione facultatum pā-
tet. Religiosi verò affectu & effectu paupe-
res esse tenentur.*

Actus.

I. Omnia personæ & statui superflua di-
mittere, & in veros pauperes distri-
buere.

buere. Si vis perfectus esse; vade, vende, qua habes, & da pauperibus. Matth. c. 19.

2. Domino rerum temporalium, propter Christum renuntiare, & nihil omnino tanquam proprium possidere. Nihil habentes. 2. Corinth. 6. 10.
3. Nihil accipere aut dare sine facultate: quia ad hoc jus non habet Religiosus, cum sint aliena.
4. Nulla re tanquam propria uti, aut sine facultate Superioris: quia nullius rei habet dominium, cum eo, amore Dei, se privaverit.
5. Nihil superfluum retinere, aut oblatum admittere. Melius est enim minus egere, quam plus habere, ait S. Augustinus.
6. Vilissima in iis, quae ad usum conceduntur, eligere. Spiritus enim mortuis signum est, multa curiosa, non necessaria habere, ajebat S. Franciscus.
7. Etiam necessariorum carentiam, aequo animo tolerare.
8. Non nimiam pro iis sollicitudinem gerere: sed omnem curam in eum conjicere, cui est cura de nobis: eaque non tanquam debita, sed veluti elemosynam accipere, aut humiliter postulare.

9. Libenter ea , quæ necessaria sunt , vel
à Superioribus , vel ab Officialibus , vel
ab externis mendicare .

Consideratio.

Si mortales paupertatis pretium , & utilitates nōssent , quanto studio ad eam comprehendendam concurrerent ? Hæc enim I. Vitiorum instrumenta tollit , virtutes oppositas inserit. II. Ad peccata expienda mirè conductit. III. Hominem inutili rerum caducarum occupatione liberat. IV. Animum bonis creatis adhærescere non sinit. V. Deo gratos , dilectos , variisque beneficiis dignos reddit. VI Per vietūs , culiusque tenuitatem , maximam vim ad suam , proximorumque salutem procurandam habet. VII. Optimum medium est , ad obtainendum regnum cœlorum. Unde rectè exclamat S. Laurentius Justinianus : *Quid paupertate melius , quid securius , quid iucundius ?* Tristentur omnes , cuncti gemant , formident universi ; hac semper hilaris , semper eodem vulnus , eodem animo perseverat. Lign. vittæ de paup. c. 4. Et S. Chrysostomus , Pauperas , ait , est tutum asylum , portua tranquillitas , perpetua securitas , voluptas sincera , vita turbationum nescia , vita fluentum ignara. O quis igitur illam non diligat , si Deo pleno corde servire aveat ?

Pe-

Petitio.

Domine JESU , qui toto vitæ decursu,
paupertatem in sociam individuam elegisti,
in stabulo paupere nascens , in cruce nudus
moriens ; prædicationis tempore , ubi ca-
put reclinares , non habens : largire mihi
paupertatis spiritum ; ut Te imiter , Tibi
placeam , atque hic centuplum , in fu-
turo , vitam æternam possideam.

Aspirationes.

I. Beati pauperes spiritu , quoniam ipso-
rum est regnum calorum. Matth. c. 5.

II. O quanta beatitudo ! pro parvissima magna
recipere , eterna pro brevibus , pro moriturus
semper viventia , & habere Deum debitorem ?
S. Hieron. Epist. 150.

III. Hoc oro , hoc desidero , ut ab omni
proprietate exsoliatus , nudus nadum JE-
sum sequi valeam.

P A S S U S XXXI.

Studioſitas.

T E X T U S .

Stude sapientiæ , fili mi , & læti-
fica

*fica eorum, ut possis expro-
branti respondere sermonem.
Proverb. c. 27. II.*

Cognitio.

STUDIOSITAS est virtus, quâ immoderatum
sciendi appetitum comprimimus, & animum in descendis necessariis incuriosum ac
negligentem, ad moderatum studium scien-
tiarum accendimus.

Actus:

1. Nolle noxia, prohibita, curiosa, & inutilia scire; sed solam rerum cognitio-
nem, nostro statui & sorti convenien-
tem appetere.
2. Scientiam rebus ad salutem necessariis,
aut veræ virtuti nequaquam præpone-
re; sed eam suo in gradu, id est post
virtutem & res ad salutem necessarias,
diligere.
3. Rebus utilibus studere cā diligentia,
quâ oportet: eo fine quo oportet illis
locis, temporibus & instrumentis aut
adminiculis, quibus oportet.
4. Appetitum sciendi utilia dormituriens,
aut etiam labantem, & penè mor-
ientem excitare atque accedere.

s. Non

5. Non solum intellectum; verum etiam sensus, tam internos, quam externos, à rerum inutilium, aut noxiarum, solius curiositatis praetextu amatarum, perceptione, reprimere.

Consideratio.

Quis studiositatis virtutem sibi comparare negligat, si ejus emolumenta expendat? Illa enim I. Temporis nobiliissimi jacturam arcet, atque ad illud probè expendendum inducit. II. Virtutis, rerumque divinarum neglectum proscribit. III. Curiositatem nimiam refrænat. IV. Ad sapientiam, doctrinam, scientiasque nobis necessarias, tum ad propriam, tum ad proximorum salutem, plurimum adjuvat. An non igitur præcipuo studio nobilis hæc virtus quærenda & sectanda est?

Petitio.

Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis, gratiam mihi largire, sapientiæ & scientiæ operam dare, ut oportet; ut inutilia, curiosa, noxia scire non appetam: ad utilia addiscenda animum alacriter applicem; rectumque in studendo, & addiscendo ordinem teneam, ad laudem & gloriam tuam.

Aspirationes.

I. Altiora te ne quesieris; & fortiora te, ne scrutatus fueris. Eccli. c. 3. 22.

176 SEMITA PERFECTIONIS.

II. Observa, quid scire magis, priusve
oporteat: tempus enim breve est. S. Bern.
ser. 36. in Cant.

III. Da mihi, Domine, sedium tuarum
assistricem sapientiam, ut sciam nimium
sciendi ardorem retundere, & ignoriam eli-
minare.

P A S S U S XXXII.

Taciturnitas seu Silentium.

T E X T U S .

*Si quis autem putat se religiosum
esse, non refrænans linguam
suam, sed seducens cor suum,
hujus vana est religio. S. Ja-
cobus epist. c. i. 26.*

Cognitio.

TAciturnitas est virtus, immodicum lo-
quendi appetitum refrænans; ita ut
non tantum ab illicitis, sed licitis etiam ver-
bis abstineat. S. Albert. M.

Actus.

I. Nihil illicitum, nihil minus decens, ni-
hil

hil proximo nocivum , aut Deo invi-
sum ore proferre.

2. Nihil inutile , otiosumve loqui.
3. Præscripta silentii tempora diligenter
observare; & extra tempus, & locum,
ac sine debitiss circumstantiis , etiam
de rebus bonis nolle loqui.
4. Nihil ad ostentationem , sed solùm ad
Dei gloriam, & nostram necessitatem,
vel ad proximorum salutem dicere.
5. Etiam temporibus collocutioni conces-
sis, ad audiendum magis , quām ad lo-
quendum inclinare; juxta illud S. Ja-
cobi c. i. 19. *Sit autem omnis homo
velox ad audiendum ; tardus autem
ad loquendum.*
6. Non respondere , priùsqam alter ser-
monem absolverit , & perfectè quis
audiverit. *Priùsqam audias, ne respon-
deas verbum.* Eccli. ii. 8.
7. Inter ipsa colloquia brevem potiùs,
quām longum sermonem amare. *Noli
verbosus esse in multitudine presbytero-
rum.* Eccli. c. 7. 15.
8. Non contendere aut rixari cum altero;
juxta monitum antiquum : *Contra ver-
bosos. noli contendere verbis.*
9. Etiam acceptâ injuriâ silere , & nemini
nisi D E O & Sanctis offendam queri.
Juxta vetus effatum : *Lædi & silere
summa est fortitudinis.* Con-

Consideratio.

Animemini, si silentii necessitatem, utilitatem, jucunditatēmque crebrius animo volveres, haud dubiè illud studiosius observares: nam I. Necessitas incumbit; siquidem peccata plurima evitare cupias: *In multiloquio non deerit peccatum.* Proverb. c. 10. 19. II. Utilitas inde elucet, quod quietem procuret, temporis jacturam arceat, devotionem augeat, virtutis studium promoveat, disciplinam domesticam conservet, atque ad artem benè loquendi addiscendam conductat; cuius prima regula est, *Discere prius tacere, quam loqui.* S. Laur. Justin. III. Jucunditas pater: Silentium enim juvat ad orationem, meditationem, contemplationem, familiaritatem cum Deo, denique ad gustum & consolationem spiritualem; *Impossibile enim est, ut anima religiosa, quam non delectatur silentio, gustet res Dei;* ut ajebat S. Maria Magdalena de Pazzis c. 44. vitæ. *Quis hisce ritè perpensis ori suo frœnum non injiciat?*

Petitio.

Domine JESU Christe, qui in passione tua, coram Pilato & Herode, ad stuporem, silentium observasti: doce me illud amare & observare, omnésque illicitos & otiosos sermones refecare.

Aspi-

Affirations.

I. O quis non libenter taceat! Quis multum loqui non reformidet; cum de omni verbo otioso, in die judicii, reddenda sit ratio. Matth. c. 12. 36.

II. Heu! quoties inter homines fui, minor homo redii: vellem me pluries tacuisse, & inter homines non fuisse. Thom. Kemp.

III. Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantia labii meis, ut non delinquam in lingua mea. Ps. 140. v. 3.

P A S S U S XXXIII.

Modestia.

T E X T U S.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Ad Phil. c. 4. 4.

Cognitio.

Modestia est virtus, quæ externa hominis membra & actiones, juxta statum cuiusque decentiam moderatur.

Actus à S. Ignatio assignati:

- I. Caput hoc, illuc leviter non moveatur; sed cum gravitate, ubi opus erit: & si opus non sit, teneatur rectum, cum

moderata inflexione in anteriorem partem, ad neutrum latus deflectendo.

2. Oculi demissi, ut plurimum, teneantur; nec immoderatè eleventur, nec in hanc aut illam partem circumstetantur.
3. Inter loquendum cum hominibus, præsertim alicujus autoritatis, non desigatur aspectus in eorum vultus, sed potius sub oculos.
4. Rugæ in fronte, ac multò magis in naso, evitentur; ut serenitas exterius cernatur, quæ interioris sit indicium.
5. Labia sint nec nimis compressa, nec nimis diducta.
6. Tota facies hilaritatem potius præferat, quam tristitiam, aut alium minus moderatum affectum.
7. Vester sint mundæ, & cum decentia compositæ.
8. Manus, si non in sustinenda ueste occupentur, quietè teneantur.
9. Incessus sit moderatus, sine notabili festinatione: si necessitas urgeret; in ea tamen, quantum fieri potest, decoris ratio habeatur.
10. Omnes denique gestus ac motus ejusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant. Si loquendum sit, membrinæ modestiæ & ædificationis, tum

tum in verbis, tum in ratione ac modo loquendi.

Consideratio.

O quis recenseat, quanta ex modestia insigni in hominem commoda & emolumenta promanent? I. Modestia bonum nomen & famam conciliat. II. Dei gloriam auget. III. Salutem proximi promovet. IV. Salutem propriam conservat. V. Tempulum Spiritus sancti, quod sumus nos, exornat. VI. Apud alios nostri amorem generat. VII. Denique *Finis modestia timor Domini, divinia & gloria. Proverb. c. 22. 4. Quem igitur modestia se totum dedere pigeat?*

Petitio.

O candor lucis æternæ, JESU Christe, speculum omnis honestatis, decentiae & modestiae! Gratiam mihi, quæso, copiosa tribue, ut in omni gressu & incessu; in oculis & labiis; in manibus & pedibus; in locutione & risu; in vestibus & moribus; in motibus denique, & in omnibus actionibus, modestiam singularem præ me feram, ad gloriam tuam, & proximorum ædificationem.

Aspiraciones.

I. Impleamus, Domine, Apostoli tui monitum: *Induite vos sicut electi DEI modestiam. Ad Coloss. c. 3. 12.*

II. Utinam Divi Augustini sequeremur doctrinam: *In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem.* In Reg.

III. Redemptor mi modestissime, doce me servare regulas modestiae.

E P I L O G U S VIÆ ILLUMINATIVÆ.

Obtentis, ope Examinis Particularis, uti & Cognitionis, Considerationis, Orationis, & Aspirationis, antedictis Virtutibus; magnam ædificii spiritualis partem extruximus; magnam partem horti florum perfecimus; illudque Jeremiæ implevimus: *Constituite, ut adifi. es & plantes,* c. i. Jecimus enim fundementum, quod in virtutibus Theologicis est fides, in moralibus, humilitas: ereximus parietes, scilicet reliquias virtutes; at nunc denique tectum imponendum est, nimirum charitatis. Purgavimus hortum à vitiorum lolio; plantavimus flores virtutum; nunc florum regina, velut corona imperialis, pro coronide inserenda restat, nimirum dilectio, seu divini flamma amoris; cuius semitam nobis ostendere, aperire, ac per eam nos deducere dignetur Deus, qui est charitas. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Joan. c. 4. 16.

TER.

TERTIA
SEMITA
PERFECTIONIS
UNITIVA,

In qua Anima Christiana , per-
fectionis cupida, charitate
perficitur.

Præfatio.

Rege quopiam , pro inauguratione,
Urbem principem subituro, non sat
est civibus , viam mundâsse , obsta-
cula removisse , senticera exscidisse , herbas,
flores & odores sparsisse ; sed insuper necesse
est , sub vesperum præcipue , faces & lam-
pades accendere , pyrerga & ignes festivos
excitare , quo ingens suum , de adventu
Regis, gaudium , amorémque in personam
Regiam singularem demonstrent . Haud
absimili ratione Christo Domino , cœli
terræque Monarchæ , via adornanda est;
post semitam, vitiorum & peccatorum for-
di-

dibus mundatam , post sparsos virtutum flores, ignes charitatis divinæ, in hac tertia viæ Parte , sunt succendendi. Quoniam verò voluntas nostra cœca est, & nihil velle aut amare valemus, quod ignoramus, & non cognoscimus, ante omnia studebimus Deum cognoscere, atque illius attributa, perfectiones, proprietates & magnalia, pro tenuitate nostra intelligere ; & mox ex cognitione amor, velut ex Sole lumen, ex igne calor, ex objecti pulchri visione complacentia profiliat. Quem in finem Scripturæ sacræ tex- tum , tanquam fundamentum , cui innita- mur , præmittimus : deinde quædam pro cognitione & intelligentia subdimus, postea affectum seu amoris actum subjungimus; ac denique suspiria atteximus , quibus assidue utamur, & ad majorem cognitionem , amo- rem , & unionem divinam ejus ope aspiremus , ac perve- niamus.



SEMI-

S E M I T Æ III.

Perfectionis , seu Unitivæ

P A S S U S I.

Cognitio & Confessio pro
priæ cœcitatis.

TEXTUS S. SCRIPTURÆ.

*Accedite ad Eum, & illuminati.
mini. Psal. 33. v. 6.*

Cognitio & Confessio.

O Pater luminum! ego cœcus peccator,
coram Te , intellectus mei tenebras
libens profiteor. In cœcitate natus , in
cœcitate haçtenus versatus, parùm Te eheu
cognovi ! nam non cognovi naturam tuam
Divinam eminentissimam ; alias ferventius
Te quæsivissem. Non cognovi maiestatem
tuam infinitam , alias fideliùs Tibi servivis-
sem. Non cognovi summam sapientiam
& veritatem tuam , alias dictis tuis firmius
credidissem. Non cognovi omnipotentiam
& maximam fidelitatem tuam , alias immo-
bilis

bilius in Te sperassem. Non cognovi justitiam tuam rigorem, alias non toties Te offendissem. Non cognovi immensitatem tuam, ubique presentem, alias cautiū & sanctius coram Te ambulassem. Non cognovi beatitudinem tuam, pulchritudinem, dulcedinem, beneficentiam, liberalitatem, sanctitatem, ac reliquias perfectiones tuas, alias ardentiū Te dilexissem. Quare ô Deus, illumina tenebras meas, & da, ut Te amplius cognoscam & diligam.

Affectus & Peticio.

Domine Deus meus, qui de tenebris facis lucem splendescere; obsecro Te, mentis meae caliginem dissipa, & lumen copiosum ingere, quo Te amplius cognoscam ac diligam. Tribue visum, lux invisibilis, qui Te videar. Creo novum olfactum, odor vita, qui possit currat in odorem unguentorum tuorum. Gustum sana, qui sapiat & cognoscat, & discernat, quam magna multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti, qui pleni sunt charitatis tuae. Da cor, quod Te cogiter; animam, qua Te diligit; mentem, qua Te recolat; intellectum, qui Te intelligat; rationem, qua Tibi semper summè delectabili adharet. S. August. soliloq. c. I.

Aspiraciones.

I. Deus meus, illumina tenebras meas.
Psal. 17.

II.

II. Domine, expelle tenebras desuper abyssi
mentis mea. S. Aug. soliloq. c. i.

III. O Lumen meum! haec tenus contexe-
runt me tenebrae: Sed post tenebras spero lucem.

P A S S U S II.

Desiderium cognoscendi DEUM.

T E X T U S .

*Nōsse Te, consummata justitia
est; & scire justitiam & vir-
tutem tuam, radix est immor-
talitatis.* Sap. 15. 3.

Cognitio.

*Quanta, Domine Deus meus, sit ne-
cessitas, Te omne bonum nostrum co-
gnoscendi, quis non videt? Hujus enim
cognitionis defectu I. omnia mundi scelera
orientur; attestante Propheta: Non est
scientia Dei in terra. Oseæ c. 4. Et quid
inde? Omnim malorum colluvies; nam
mendacium, & furtum, & adulterium,
& reliqua scelera inundaverunt. II. Ex
defectu hujus cognitionis deficit in morta-
libus fides, languet spes, hebescit fiducia,
perit humilitas, reverentia, timor, obedientia,*

patientia, omnisque reliquus virtutum chorus eliminatur. Quomodo enim credent, sperabunt, timebunt, reverebuntur, obedient, ac sustinebunt, quem non cognoverunt? III. Ex defectu hujus cognitionis flaccescit concupiscentia aeternorum, tempestivitatis charitas, marcescit desiderium, conformitas cum voluntate Divina interit; omnisque perfectionis & unionis cum Deo neglectus & oblivio nascitur: quemadmodum ex cognitione Dei mox omnis virtus & justitia exoritur; Noste enim Te, consummata justitia est. Sap. 15. 3.

Affectus & Petitio.

O quis igitur Te, Deus meus, omnis boni fontem, cognoscere non desideret, ut cordis puritatem, virtutum splendorem, & perfectionis ac charitatis consummationem obtainere mereatur? O Lux beatissima, qua non nisi à purgatissimis oculis videri potes: Beati mundo corde, quoniam ipse Deum videbunt. Munda me, mundans virtus; sana oculos meos, ut sanis oculis Te contempler, quem non nisi sani oculi intuentur. Affer quasque squamas caliginis antiqua radii tuae illuminationis, Splendor inaccessibilis, ut Te videre valeam irreverberatis obtutibus; & in lumine tuo videam lumen. Ecce video; dilaretur obsecro visus meus, Domine, ex Te.

Re-

Revela oculos meos, & considerabo mirabilia
de lege tua. S. Aug. soliloq. c. 34.

Aspirationes.

I. Non glorietur sapiens in sapientia sua;
sed qui gloriatur, in hoc glorietur, scire
& nosse Me. Jerem. c. 9. 25.

II. Noverim me, noverim Te, DEVS
meus! S. Augustinus.

III. Domine Deus, O si Te homines
nōffent! S. Ignatius.

P A S S U S III.

Cognitio & dilectio Divi-
nitatis.

T E X T U S.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te Deum verum, &
quem misisti JESUM Christum. Joan. c. 17.

Cognitio.

O Tranquilla & serena lux, Deus meus,
animam meam tuis illustrationibus ir-
radia, ut naturam tuam Divinam clari-
co-

190 SEMITA PERFECTIONIS.

cognoscam. Tu enim es, qui es; hoc est, tu es ipsum ens, ipsum existens à se, non ab alio, à quo limiteris; ideoque es ipsum *Esse*, primum *Esse*, *Esse* necessarium, *Esse* purissimum, simplicissimum, actualissimum. Ac proinde

I. Tu es Spiritus sublimissimus, optimus, maximus, sempiternus, potentissimus, sapientissimus, benignissimus, sanctissimus, justissimus, misericordissimus, pulcherissimus, omnibus rebus intimè præsens, omnia interius creans, formans, conservans, gubernans, & ad gloriam tuam ordinans, tanquam primum principium, & finis rerum omnium.

II. Tu es Deus invisibilis, incomprehensibilis, indivisibilis, immutabilis, inestabilis, illimitatus, immensus, infinitus, semper agens, semper quietus, colligens, nec egens; creans, & nutriendis, & perficiens; portans, & implens, & protegens; ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, propter quem omnia. S. Aug.

III. Tu es, Domine, Spiritus simplicissimus, per se subsistens, infinitæ perfectionis, omnes perfectiones eminenter complectens, & super omnes perfectiones imaginabiles infinite elevatus: supra omnem substantiam, supra omnem potentiam, omnem sapientiam, omnem intellectum,

om-

Om̄nem lucem , om̄nem pulchritudinem ,
sanctitatem , justitiam , bonitatem , beatitudinem , gloriā infinitē exaltatus ; ita ut
nihil horum propriè sit in Te , sed omnia
infinitē sublimius , & præstantius in Te
reperiāntur.

Dilectio & Petitio.

O Deus amabilis , tantus ac talis Tu es ,
& ego non diligam , non quæram , non
laudem Te ? Umbram consecter , Solem
præteream ? Quod nihilum est , amplectar ;
quod totum est & omnia , negligam ? O
Ignis , qui semper ardes , & nunquam ex-
tingueris , accende me ! O amor , qui nun-
quam te pescis , transfige medullas animæ
meæ suavissimo dilectionis telo : perfode
cor meum igneâ charitate , ut proflus lan-
gueat anima mea Tuî desiderio & amore :
tota amore resolvatur ; tota liquefacat ; tota
in Te transeat ; tota in immenso Deitatis
& essentiæ tuæ pelago demergatur : tota
ab infinito bonitatis & omnis perfectionis
oceano absorbeatur !

Aspirationes.

I. Ego sum , qui sum . Exod . 3. 14. O quid
est hoc : Ego sum , qui sum ? O stupendum
elogium , omnium aliorum radix & com-
pendium !

192 SEMITA PERFECTIONIS.

II. Diligam Te Virtus animæ meæ! Veni gaudium spiritus mei! Videam Te latitudinem cordis mei! S. Aug. soliloq. c. i.

III. O Deus meus & omnia! Diligo Te super omnia. S. Franc. Seraph.

P A S S U S IV.

Cognitio & Dilectio SS.
Trinitatis.

T E X T U S .

*Tres sunt, qui testimonium dant
in cœlo, Pater, Verbum, &
Spiritus Sanctus, & hi tres
unum sunt. I. Joan. 5.*

Cognitio.

I. **T**U ô Deus, unus es in essentia seu natura, & trinus in personis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ita ut nec summa unitas afferat trinitatem, nec vera trinitas tollat unitatem. Tu Pater es Deus, tu Fili es Deus, tu Spiritus Sancte es Deus; & tamen non estis tres Dii, sed unus Deus, unus Dominus, unus Bonus, unus Omnipotens. In Te ô Unitrine Deus, nulla est prior.

prioritas, nulla inæqualitas, nulla mutabilitas, nulla diversitas; sed omnimoda æquitas ac stabilitas.

II. Tu Deus Pater, principium es absque principio: Tu es ingenitus, quia procedis à nullo; sed tuam naturam Divinam & substantiam sine omni divisione & imperfectione communicas: dum enim teipsum, infinitam perfectionem, potentiam, pulchritudinem, & quidquid extra te efficere potes, evidentissimè & perfectissimè ab æterno intelligis, conceptum tuū clarissimum, perfectissimumque producis: & hic conceptus est Filius tuus, Verbum tuum, imago tua, naturam tuam & substantiam communicans, adeò tibi similis, ut sit unus idemque tecum.

III. Et tu Fili Dei, es Unigenitus Patris & unicus, quia alijs nec fuit, nec esse potest. Tu genitus es à Patre sine matre, à quo accipis bonum infinitum. Tu figura & imago Patris es perfectissima. Tu Verbum Patris, & Sapientia vera, ex ore Altissimi procedens, hæres es universorum, per quem fecit & sœcula.

IV. Tu quoque ô Sancte Spiritus! à Patre & Filio, tanquam ab uno principio, æternâ processione, procedis. Tu per excellentiam es Spiritus, quia summâ voluptate hauris spiritum & vitam duorum

à quibus procedis. Tu es Spiritus Patris, à quo accipis divinitatem & omnipotentiam : Tu es Spiritus Filii, à quo eandem accipis divinitatem, & sapientiam. Tu es Spiritus utriusque, à quo accipis infinitum amorem, & illos eodem diligis amore, quo ab illis diligenteris. Tu es propriè spiritus, quia procedis tanquam impetus & impulsus à benevolâ Patris & Filii voluntate. Tu denique es etiam sanctus: quia es charitas in-creata, & fons sanctitatis.

Dilectio & Petatio.

O Pater lumen ! à quo procedit lux vera, quæ est Filius tuus, splendor infinitæ gloriæ, & candor lucis æternæ, illustra me, ut cognoascam Te ; accende me charitate, ut filiali Te amore complectiar, & inter filios tuos adoptivos numerari merear.

O Fili Dei unigenite, fac ut sincero amo-re Te diligam, evadámque filius lucis, in hac vita ; & obtineam lumen gloriæ, quo clarè videam & amem Te in altera. O si me tibi quodammodo facheres similem in eo, quod est esse Filium! nam si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Ad Gal. c. 4.

O Sancte Spiritus! Spiritus amoris, Tu quoque fac, ut Te diligam, spiritum tuum hautiam, ac totus in spiritum amoris con-
ver-

Vertar! O si à Te procederet impetus, qui
cor meum penetrans, illud raperet, tuó-
que conjungeret, & ex utroque unum per
amorem efficeret! O fons & donum sancti-
tatis, da mihi Te donum infinitum, ut eo
dono, & ego sim spiritus in puritate, & san-
ctus in charitate.

Affirationes.

I. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus
Sancti, Matth. 23. 19. Omnia in hoc nomi-
ne, laude, gloria & honore.*

II. *Te Deum Patrem ingenitum, Te Fi-
lium Unigenitum, Te Spiritum sanctum Pa-
racletum, sanctam & individuam Trinita-
tem, toto corde & ore confitemur, laudamus
atque benedicimus. Tibi gloria in secula sa-
culorum. Amen. S. Aug. in med. c. 11.*

III. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui
sancto, sicut erat in principio, &c.*

P A S S U S V.

*Cognitio & Dilectio Æter-
nitatis.*

T E X T U S.

Priusquam montes fierent, aut

I 3 fur-

*formaretur terra & Orbis,
a saeculo usque in saeculum,
Tu es Deus. Psal. 89.*

Cognitio.

I **T**U, ô mi Deus ! Æternus diceris, quis infinito intervallo, ante omne tempus imaginabile fuisti ; & infinito intervallo, seu infinitis saeculis post omnem tempus imaginabile eris. Cogitet quis ante mundum conditum, (qui nondum sex milibus annorum stetit) tot annorum millions, quot sunt stellæ in cœlis, atomi in aëre, guttæ in mari, arenæ, folia, gramina, semina, pili in toto mundo : videbitur hic annorum numerus æternitas quædam. Verum Tu Deus adhuc infinitis annis, & annorum myriadibus antecessisti.

II Pari modo Tu quoque mi Deus eris & permanebis pro futuro in omnem æternitatem; fluant enim tot annorum millions, quot antè diximus, adhuc restabunt alii & alii millions infiniti, quibus Tu Deus cum Sanctis in cœlo regnabis, & damnati apud inferos torquebuntur. Nec potest ab ulla mente creata tanta annorum aut saeculorum multitudo excogitari, quin eâ exactâ, & post illam adhuc alia multitudo annorum infinita sit subsecutura.

III. Tu quoque es æternus, quia omnia
attributa & bona tua, beatitudinum gaudia
& oblectamenta, quæ per tempus infinitum
acquirere posses, simul perfectissimè in unum
collecta habes, & immutabiliter ex omni
æternitate in omnem æternitatem, absque
omni initio & fine possides, ita ut nullum
ei possit accedere augmentum aut decre-
mentum.

Dilectio & Petatio.

Et ego non amem te, non æstimem te,
ô Bonum æternum! ô Bonum infinitum!
Tu me amâsti ab æterno; & ut confido,
in æternum amabis, ideoque decrevisti me
eo loco, tempore, modo, creare, conser-
vare, vocare, regere, ac ducere ad beatam
æternitatem. Et ego hoc breve, & respectu
æternitatis momentaneum vitæ meæ tem-
pus, amori tuo non totum consecrem? Væ
tempori illi, quo non amavi te! Væ tem-
pori, quo brevem voluptatem, aut vanita-
tem æternitati tuæ anteposui! Ex nunc sta-
tuo omnia terrena, & temporalia flocci pen-
dere, omniâque arbitrari ut stercore, quo
omnem affectum meum in Te uno, Bono
meo æterno, collocem, æternitati tuæ me
inseparabiliter affigam, ut tamen in hac tem-
poris volubilitate, quam secutura æterni-
tate Te diligam.

Aspiraciones.

I. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus
Deus omnipotens: qui est, qui erat, & qui
veniurus est. Apoc. c. 4. 8.

II. Te credo, Te spero, Te laudo, Te
amo, adoro ac benedico, Sine deformitati
perfectum, sine quantitate magnum, sine
qualitate bonum, sine tempore sempiternum.
S. Aug. Med. c. 12.

III. O Deus æterne! da ut ita Te co-
gnoscam ac diligam in tempore, ut facie
ad faciem videam & diligam Te in æter-
nitate.

PASSUS VI.

Cognitio & Dilectio Infinitatis,
seu infinitæ magnitudinis
DEI.

TEXTUS.

*Magnus Dominus, & magni-
tudinis ejus non est finis.*
Psal. 144.

Cognitio.

I. TUA, nō agne Deus, essentia & natura
est omnimodè infinita. Nam magni-
tu-

tudinis tuæ non est finis. Magna est terra
& mare, tot millena milliaria complectens;
sed millies major est aër; & milliones ma-
jus est cœlum: at quid omnia ista, si tecum
componantur? Non nisi guttula, arena,
atomus. In Te tanquam causa fœcundissi-
ma, infinita continentur genera, species in-
dividua, Angelorum, hominum, anima-
liam, plantarum, metallorum, lapidum,
gemmarum, colorum, odorum, saporum,
urbium, palatiorum, templorum; & quid-
quid mens angelica vel humana excogitare
potest.

II. Quemadmodum, mi Deus, essentia tua est infinita; ita quoque omnia attributa tua sunt infinita; longitudo tua est infinita, quia est æterna: latitudo tua est infinita, quia est immensa: altitudo tua est infinita, quia est inaccessibilis: profunditas tua est infinita, quia est incomprehensibilis. Potentia tua est infinita, sapientia est infinita, bonitas, pulchritudo, misericordia, justitia, & reliqua omnia sunt infinita.

III. Tu etiam, Deus immense, es absolu-
tè infinitus; quia tametsi omnia illa, quæ
in tua essentia, sapientia & potentia conti-
nentur, foris existarent, Tu tamen fores
infinitè major, excellentior, sublimior, pul-
chrior, amabilior; imò omnia ista, com-
paratione Tuî, forent instar nihili: es

enim Pelagus essentia immensum. S. Greg.
Nazian.

Dilectio.

Propterea, & magne Deus! amo Te,
& magis amare Te desidero: quia Tu cœlo
& terra, omnibusque in eis contentis ac-
ceptior mihi es & amabilior. Tu es Deus
magnus, & immensa maiestatis, cuius in-
tuitu, reliqua umbra sunt & puncta; Tu es
oceanus infinitus essentiæ, bonitatis & bea-
titudinis, omne esse & omne bonum in Te
concludens, & ab æterno eminenter antici-
pans & præhabens, tanquam fons totius en-
titatis. O quis te non diligit!

Tu es fundamentum possibilium om-
nium, omnium principium, omnium finis,
Conditor, sustentaculum, locus, ævum,
duratio, terminatio, ordinatio, connexio,
concordia, consummatio. O cuius cor,
licet ferreum, Tu ad Te non rapias, ô
cordium magnes immense?

Tu es omnis gloria & dignitas, omnis
thesaurus & opulentia, omnis voluptas
& consolatio, deliciæ, gaudia, beatitudo,
*Deus cordis mei & pars mea, Deus in ater-
num!* Et ego non diligam te, & complector
in æternum?

Aspirationes.

1. O Deus magne & infinite! Quid mihi
est

est in cœlo, & à Te quid volui super terram?
Psal. 72. 24.

II. Amo Te; Magnus enim es Tu, Domine Deus meus, & immensus, nec est finis magnitudinis tuae. S. Aug. soliloq. c. 21.

III. Nil magnum, nil altum, nil gratum vel acceptum sū tibi, nisi purè Deus, aut de Deo sit. Thom. Kemp. L. 2. c. 5.

PASSUS VII.

Cognitio & Dilectio omnipotentiæ Dei.

TEXTUS.

*Terribilis Dominus, & magnus
vehementer, & mirabilis po-
tentia ejus.* Eccli. 43. 31.

Cognitio.

I. **T**U mi Deus potentiae es infinitæ, quā potes omnia, quæ mens creata potest concipere, infinitos cœlos, mundos, angelos, populos, aurum, argentum & lapides pretiosos, his similes aut dissimiles. Omnipotens manus tua semper una & eadem creavit in cœlo Angelos, & in terra vermiculos;

culos ; non superior in illis , non inferior in istis : sicut enim nulla alia manus Angelum, ita nulla posset creare vermiculum : sicut nulla calum , ita nulla posset creare minimum arboris folium : sicut nulla corpus , ita nulla ullum capillum album posset facere aut nigrum ; sed omnipotens manus tua , cui cuncta pari modo sunt possibilia . S. Aug. soliloq. c. 9. O mirabilis potentia !

II. Tu es omnipotens , quia omnis vis & energia operandi à Te est , omnis vigor & vivacitas , quæ est in terra , mari , astris , lapidibus , herbis , animalibus , hominibus & Angelis , à Te est : nihilque est nisi tenuis omnipotentiae tuæ participatio .

III. Tu es omnipotens , quia potes omnia producere ex nihilo , absque materia præcedente , & omnia rursus annihilare , transmutare , confundere , sine alterius ope , sine labore , molestia , & temporis mora , solo verbo , nutu , voluntate , idque facilius , quam nos vel verbum profetamus . Nec tibi facilius aut possibilius est creare vermiculum , quam Angelum ; nec impossibilius extenderem calum , quam folium ; nec levius formare capillum , quam corpus ; nec difficilius fundare terram super aquam , quam aquam super terram , sed omnia , quæ omnipotentia tua voluit , fecit , sicut voluit , in cœlo & in terra , in mari , & in omnibus abyssis . S. Aug. l. c.

Di-

Dilectio.

Attonitus hæreo ac stupeo, Deus meus, cùm omnipotentiam tuam considero, cui non est impossibile omne verbum. O si liceret mihi in potentias tuas ingredi, ut ibidem stupens & elinguis meipsum deperderem! Silentium meum, Domine, loquatur tibi, animique mei attoniti admiratio Te laudet, & deinceps omnino confidat tam incredibili potestati. Concede mihi cor, quod intimè gaudeat de tam potenti dominio tuo. Da linguam, quæ dignè laudet operum & beneficiorum tuorum magnitudinem; Téque dignissimum esse profiteatur, cui in omnibus, quæ revelas, credatur. Largire mihi finum, in quem omnes miserias meas, quibus tu mederi potes, si vis, effundam. Ostende in me potentiam tuam, & dic, fiat lux: & fieri in anima mea lux, quâ cognoscam Te, & illustratus toto corde Te diligam.

Aspirationes.

I. Enarrate mirabilia ejus: quia non est aliud Deus omnipotens, prater eum. Tob. 13. 4.

II. Omnipotens manus tua, Domine, omnia fecit in celo & in terra. S. Aug. solil. c. 9. Domine Domine noster, quâm admirabile est domini nrum in universa terra. Psal. 8. 1.

III. Domine Deus omnipotens , si vū,
potes me mundare: si vis, potes me illumi-
nare , & amore succendere , ut diligam Te
toto corde !

P A S S U S VIII.

Cognitio & Dilectio Sapien-
tiæ DEI.

T E X T U S .

*Sapientiam Dei , præcedentem
omnia, quis investigabit? Ra-
dix sapientiæ , cui revelata
est ? Et astutias ejus , quis
cognovit? Eccli. c. 1. 6.*

Cognitio.

I. **T**U Domine, lumine infinitæ sapientiæ
tuæ, clarissimè cognoscis & compre-
hendis omnia. 1. Essentiam tuam infinitam.
2. Personas divinas, earumque processiones.
3. Omnia attributa tua & perfectiones.
4. Omnia alia possibilia. 5. Omnia præ-
sentia, præterita & futura. 6. Omnia sub
quavis conditione eventura. Anque hæc
omnia

omnia scis à te ipso, non ab alio; non enim
indiges instructore, consiliario, libro, vel
idea. Tu primus Inventor omnium artium
& scientiarum. Verè, Domine, Tu omnia
nōsti.

II. Tu secundūm infinitam sapientiam
tuam omnia in mundo & cælo ordinas, ac
disponis, in certo numero, pondere & men-
sura: omnib[us]que creaturis tuis modum,
ordinem, & numerum statuis, sicut & pon-
dus inclinationum suarum, & mensuram
perfectionum.

III. Tu non secus ac mare infinitum
& redundans sapientiæ, in creaturas tuas
influis: illisque omnis sapientiæ fons est
& scaturigo, in Angelis præsertim & homi-
nibus: quin & à Te profluit tenuis illa
cognitio & industria, quæ in animalibus
relucet.

Dilectio.

O stupenda Numinis supremi sapientia!
cui omnia patent. omniaque nuda sunt &
aperta: cui omnia præterita & futura sunt
præsentia: cui omnia temporalia sunt æter-
na; omnia insensibilia & mortua vivunt:
omnia, quæ non sunt, existunt. A, a, a
Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego
sum: & tantum sapientiæ lumen (veluti
noctuæ Solis radii) mentis meæ oculos re-
ver-

verberat. Illucesce, obsecro, & tenebras
meas discutiens, velut per simulacrum, radium
in cordis mei penetralia immittit; ut in lu-
mine tuo ambulans, perfectè vivam, & dili-
gam Te: obligationi meæ satisfaciam, atque
in sanctitate & justitia omnibus diebus vita
meæ tibi serviam ac placeam.

Aspirations.

I. O altitudo divitiarum sapientia & scien-
tia Dei, quam incomprehensibilia sunt ju-
dicia ejus, & investigabiles via ejus! Ad
Rom. c. II. v. 33.

II. Cognoscam Te, Domine, Cognitor
meus! Diligam Te, Domine, virtus mea!
Te sapienter amor sapiens diligit. S. Aug.
solil. c. I.

III. O infinita sapientia, da mihi veram
sapientiam, & scientiam sanctorum; ut Te
in veritate cognoscam, ac toto corde di-
ligam.

P A S S U S IX.

Cognitio & Dilectio Boni- tatis DEI.

TEXTUS.

Ego ostendam tibi omne bonum.
Exodi c. 33.

Cogni-

Cognitio.

I. IN Te, DEUS meus, est omnis boni plenitudo: nullum enim bonum exco-
gitari potest, quod in Te non eminentissimè & perfectissimè contineatur. In Te est in-
finita amabilitas & sanctitas: infinita lux & claritas: infinita pulchritudo & majestas:
infinitum gaudium & voluptas: potentia,
sapientia & bonitas: dulcedo gloriæ & beat-
titas. Imò hæc omnia, Tu ipse es, altissimo
& perfectissimo modo, per essentiam tuam.

II. Tu es fons inexhaustus omnium bo-
norum, bonorum, quæ in angelis & homi-
nibus, cæterisque creatis reperiuntur. Omnia
à Te sunt, & fluunt, & absque Te conservari
nequeunt; & comparatione boni tui infiniti
velut guttulæ sunt roris antelucani, quas in
omnes & omnia dispergis.

III. Tu es immensus bonitatis naturalis
& moralis oceanus, qui continere se nequit,
quin indesinenter effluat, & exuberet in
omnes, atque etiam in me facturam tuam:
inde enim habeo, quidquid sum & valeo,
inde meum esse, vivere, crescere, sentire,
intelligere, velle, cunctaque dona naturalia
& supernaturalia profluxere, ac denique
dona æternæ gloriæ saturient.

Dilectio.

○ bonum super omne bonum! ○ bonum
con-

continens omne bonum! ô bonum in omni genere bonum! omnis boni Conditor & origo! bonum super omne bonum, à mente creata excogitabile, infinitè elevatum! Cur ego Te non ardentiùs diligo? Hinc est, Domine, quòd non tantum diligo, quantum debedo, quia non plenè cognosco Te: sed quia parùm cognosco, parùm diligo: & quia parùm diligo, parùm in Te gaudeo. S. Aug. solil. c. i. Da ut cognoscam Te amplius ac diligam!

Confundor sanè, & ad exilitatem amoris mei erubesco: bonum terrenum, bonum eaducum, imò boni umbra universam creaturam trahit: hoc tantos in mundo motus excitat: quidquid enim agitur, quidquid moveretur, quidquid operatur; boni appetitu agitur, movetur & operatur. Si umbra tantum trahit, quid facere debet veritas? Cur ergo per multa vagari homuncio, querendo bona anima sua & corporis? Amum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satius est. S. Aug. in Manuali c. 34.

O cœcitas mortalium: si in stillulam, id est, in rem creatam, tanto impetu rapi-mur; quanto magis in infinitum omnis boni oceanum, id est in Creatorem, rapiamur necesse est? Amo Te Deus meus amore ma-

magno, & omnium Angelorum & hominum amorem habere desidero. Iubes Te diligi, da, quod iubes, & jube quod vis.

Aspirations.

I. Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in seculum misericordia Ejus. Psal. 106.

II. Amplectar Te bonum, sine quo nihil bonum! Amplectar Te optimum, sine quo nihil optimum! S. Aug. soliloq. c. 1.

III. O Bonum super omne bonum, Bonum summum, bonum increatum, amo Te super omne bonum creatum: & millies amplius amare Te desidero.

P A S S U S X.

Cognitio & amor dulcedinis DEI.

T E X T U S.

Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Psal. 33.9.

Cognitio.

I. TU Domine Deus meus, es tibi ipsi dulcedo infinita: es enim objectum omne

210 SEMITA PERFECTIONIS.

omne dulce & delectabile eminentissime in se continens. *Dulcis & rectus Dominus.* Psal. 24. 8. Deinde de te ipso infinitè gaudes, esque amor infinitus, & gaudium infinitum ; de te ipso delectationem infinitam hauriens.

II. Tu es causa & origo omnis dulcedinis spiritualis & corporalis ; quidquid enim dulce, suave, amabile & delectabile in melle, saccharo, cibo, potu, fructibus, ceterisque creatis reperitur, à Te scaturit, tanquam tenuis rivulus, aut guttula ex immenso dulcedinis tuae pelago.

III. Neque solum omne objectum dulce & delectabile ; sed omnis etiam delectatio, sensusque dulcedinis, in angelis, hominibus & animalibus à te proficiscitur. A te enim est objectum & proportio congruentiae & convenientiae, quam objectum illud habet ad illam animae facultatem. Ideoque à Te quoque est infinita & æterna dulcedo omnium Angelorum & spirituum beatorum in æterna beatitudine, objectivæ & effectivæ.

Lessius.

Dilectio.

O igitur anima cœca, anima stolida, quid per bona fluxa & evanida, vel ista, vel illa vagaris ? Quid carptim varia delibas mella ? Erige mentis alas, & ad DEUM trans-

transvola , qui est omne bonum , omne dulce , in quo ipsa dulcedo , in suo fonte degustatur : in quo omnes deliciæ & voluptates, omnes recreaciones & amœnitates, omnia solatia & gaudia , omnis felicitas & beatitudo exuberat. Da mihi obsecro, sapere, degustare & videre, quam suavis sis Domine.

O mea dulcedo ! ô meum mel ! Tu mihi omni manna , nectare & ambrosia es dulcior : fac me suavitate tua ita inescari , ut omnis dulcedo mundana in amaritudinem, omne gaudium in mœtorem vertatur.

Charitas dulcis , Deus meus , accende me totum igne tuo , amore Tui , dulcedine delectationis tuae , desiderio tui , charitate iuâ , iuicunditate & exultatione tua , pietate & suavitate tua , voluptate & concupiscentia tua , qua sancta est & bona , qua casta est & munda , ut totus amore dulcedinis tuae plenus , totus flammâ charitatis tuae vaporatus , diligam Te , Dominum meum , dulcissimum , & pulcherrimum , ex toto corde meo , ex tota anima mea . ex totis viribus meis , & ex omni intentione mea . S. Aug.

Aspirations.

I. Quam magna multitudo dulcedinis tuae , quam abscondisti timentibus te ! Psal. 30.

II. Fac me , Domine , gustare tua nectare cha-

212 SEMITA PERFECTIONIS.

charitatis, illecebra sa mundi despicere, & nulla
eius adversa formidare: nihil quo sine Te
mibi dulcescat, nihil complaceat, nihil pre-
ciosum, nihil prater Te arrideat speciosum.
S. Aug. med. c. 7.

III. Absorbeat, Domine, mentem meam
ab omnibus, qua sub calo sunt, ignis
& melliflua vis amoru tui; ut Tibi soli
inhareaam; solaque tua suavitatis memoria
pascar. S. Aug.

Deus dulcedo cordium!

In ore mel mirificum!

In corde nectar cœlicum!

P A S S U S XI.

Cognitio & Dilectio pulchri-
tudinis DEI.

T E X T U S.

*Ecce Tu pulcher es, Dilecte mi,
& decorus. Cant. c. I.*

Cognitio.

I. *E*cce tu pulcher es, Dilecte mi; es enim
pulchritudo infinita, omnem pulchri-
tudinem creatam & creabilem infinitè supe-
rans, & omnem eam quoque, quam ipsi
mens

mens divina extra Te concipere potest. Unde es infinitè amabilis & delectabilis, vi infinità mentes ad amorem Tuī pertrahendi præditus.

II. Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, quia vena & scaturigo es omnis decoris & pulchritudinis, quæ in Angelis, hominibus, cœlis, elementis, animalibus, plantis, gemmis & margaritis emicat.

III. Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, quia omnes pulchritudinis gradus eminentissimè, & perfectissimè in Te complecteris.
1. Est pulchritudo, quæ oculis corporeis cernitur, & hæc est, quam mortales tantopere mirantur & sequuntur. 2. Pulchritudo formarum internarum, ex qua exterior venustas promanat. 3. Animarum sensitivarum. 4. Animæ rationalis. 5. Angelorum, 6. Beatorum, Universi pulchritudinem longè superans. 7. Est pulchritudo divina, in qua omnis pulchritudo naturalis & supernaturalis, corporalis & spiritualis eminentissimè continetur. Less. de Div. nom.

Dilectio.

O bonum super omne bonum! O pulchrum super omne pulchrum! Deus meus, à quo omnis decor & pulchritudo provenit: cur ego non ardentiùs amo Te, cùm pulchritudinis umbra sic rapiat omnium corda ad se?

O Di-

214. SEMITĀ PERFECTIONIS.

O Dilecte mi speciosissime , ostende mihi faciem tuam , ut illa cor meum planè inescet , alliciat , atque ab omni venustate creata , quæ Tuī comparatione deformitas est , penitus ayellat !

O Dilecte mi , omnis pulchri & amabilis , omnis formæ & speciei , omnis ordinis & proportionis , omnis congruentiæ & concordiæ , omnis sympathiæ & antipathiæ fons & origo indeficiens , attrahe me , allice me ad unionem amoris perfecti , me Tibi conjunge , ut Te fruar , Te delecter , Te satier , in tempore & æternitate .

Aspirationes.

I. Ostende mihi faciem tuam , sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis & facies tua decora. Cant. 2.

II. Serò Te amavi pulchritudo tam antiqua , pulchritudo tam nova , serò te amavi. S. Aug. in soliloq.

III. O pulchritudo increata , vilescat mihi omnis pulchritudo creata ! O pulchritudo infinita & vera , despiat mihi pulchritudinis umbra.



PASSUS XII.

Cognitio & Dilectio Sanctitatis DEI.

TEXTUS.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Isaiae c. 6. 3.

Cognitio.

I. **D**omine Deus meus, Tu Sanctus diceris, quia in Te uno habes omne illud, quod sanctitas exigit, nimirum amorem & objectum. Tu enim es amor infinitus, & purissimus Tui, & simul es objectum infinitæ puritatis, in cuius amore consistit formalis sanctitas.

II. Tu es causa & fons sanctitatis, viæ & patriæ, hominum & Angelorum: omnis enim sanctitas à Te velut radius ab infinito puritatis & sanctitatis Sole emanat.

III. Tu es omnis sanctitatis objectum & mensura; cùm enim in Te sit puritas infinita, quò quis magis ad Te accedit, per cognitionem & amorem, eò sanctior est. Te enim cognoscere, te amare, tibique

K amo-

amore sincerissimo inhærere, verissima sanctitas est.

Dilectio.

Domine Deus sanctissime, si sanctos Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines tanto amore & honore prosequimur; quanto magis Te, à quo omnes hausere, quidquid in eis sanctimonie refulsi?

Tu es omnis puritatis & sanctitatis causa, exemplar, idea, & Distributor; qui nos non potentiam, non sapientiam, non majestatem tuæ celitudinem imitari voluisti; sed sanctitatem; cum præcepisti: *Sancti es tu quoniam Ego Sanctus sum.* Levit. c. 21. Decet enim fontem sanctitatis, ministros habere sanctos: sanè si cœlestes illi spiritus, ab omni terrena concretione liberi, & cœlis ipsis mundiores, adhuc infinitè distant ab ea puritate, quæ ministerio tuo congruit; quanto intervallo nos ab ea distamus, qui in cœno peccatorum volvimus, & bibimus sicut aquam, iniquitatem?

Quare, ô puritas immensa! suscita à terra inopes, & è stercore erige pauperes, labes absterge, tenebras illumina, affectus sanctifica, ignem tui amoris in nobis accende, ut in sanctitate & justitia serviamus Tibi omnibus diebus vitæ nostræ!

Aſpi-

Aspirationes.

I. Psallite Domino Sancti ejus : & confite-
mini memoria sanctitatis ejus. Psal. 29.

II. Ignis sancte, quam dulciter ardes, quam
secretae luces! Vnde ius, quin non ardenter exte! Vnde
illus, qui non illuminantur ex te. S. August.
foli. c. 34.

III. Pater sancte, sanctifica nos in veritate!
Quia non est Sanctus ut est Dominus; neque
est aliud extra Te. I. Reg. 2.

P A S S U S XIII.

Cognitio & Dilectio aliorum
Attributorum Divinorum.

T E X T U S.

*Ex Ipso, per Ipsum, & in Ipso
sunt omnia. Ad Rom. c. 11.*

Cognitio.

I. **D**omine Deus noster : in Te omnes
perfectiones & virtutes modo emi-
nentissimo & perfectissimo continentur.
In Te enim 1. Est Immensitas ; es enim ubi-
que , & mille cœli & terræ capere Te ne-
queunt. 2. In Te est Immutabilitas : nihil

K 2 enim

enim tibi unquam accedere aut decedere potest. Alia sicut vestimentum veterascunt, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficiunt. 3. In Te est Immortalitas. Omnia alia mori & interire queunt, Tu necessariò permanes, & vivis in æternum. 4. Tu es prima, summâque veritas & veracitas, quæ fallere aut mentiri nequit. 5. Tu es summa Fidelitas, quæ non potest non stare promissis.

II. Tu 6. es summa justitia, absque omni injustitia. 7. Tu es summa Misericordia. effundens te super omnia opera tua. 8. Tu es summa Liberalitas, dans omnibus affluenter, & non improperans. 9. Tu es suprema Providentia, quæ à summo Seraphino, ad infimum usque vermiculum omnibus providet. 10. Tu es summa Unitas, summa simplicitas omnia, quæ de te dicimus, non multa, sed unum sunt.

III. Tu 11. es primum principium omnium, à quo omnia esse suum, & quidquid habent, nanciscuntur. 12. Tu es finis ultimus universorum, ad quem omnia diriguntur, suáque debent dirigere. 13. Tu es vita omnium, vita æterna, à qua viventia cuncta vitam suam participant. 14. Tu es beatitudo æterna, omnes in cælo beans, recreans, & æternum satians. 15. Denique tu es infinita clementia, beneficentia, fortitudo, verbo, omne bonum nostrum, quod solum nos replere, solum nos satiare ac beare valet.

Di-

Dilectio.

Quapropter, Deus meus & omnia, dili-
go Te super omnia; quia in te reperio omnia:
et amo super omnia: desidero Te super
omnia, adoro, veneror, laudo & glorifico
Te super omnia: uniri Tibi cupio super
omnia: extra Te omnia arbitror ut sterco-
ra, quo Te possideam, & aeternum Te per-
fruar, Deus meus & omnia.

Aspirationes.

I. Domine, quid mihi est in celo, & à Te
quid volui super terram? Psal 72. 24.

II. Exulta anima mea, & cùm omnia pos-
sidentem na præsentem habeas, ne quare foris,
quod intus conunes: ut quid effundis cor
tuum, & instabilis mente per multa vagaris?
Quare unum bonum, in quo sunt omnia, &
sufficit. S. Aug. in Man. c. 34.

III. O Deus meus & omnia! Quid ex-
tra Te desidero! Quam avarus es, cui Tu
non sufficis!

P A S S U S XIV.

Cognitio & Dilectio aliorum
Officiorum DEI.

T E X T U S.

Dignus es Domine Deus noster

*accipere gloriam, & hono-
rem, & virtutem; quia Tu
creasti omnia, & propter
tuam voluntatem erant, &
creata sunt. Apoc. c. 4.*

Cognitio.

I. **D**omine Deus meus, præter antedicta attributa & perfectiones tuas alia sunt encomia & officia sublimissima & piissima, quæ circa nos mortales exerces, omnemque cordis nostri amorem jure meritissimo exigunt. Tu enim 1. *Creator* noster es, qui nos & omnia ex nihilo condidisti. 2. Tu es *Conservator* noster, qui assiduo influxu tuo nos & omnia in essentia conservas. 3. Tu es *Provisor* noster, qui providentiâ plus quam paternâ & maternâ, de omnibus necessariis nobis provides. 4. Tu es *Gubernator* noster, qui nos mediis externis & internis, legibus & exemplis, illustrationibus & afflictionibus, minis & promissis, beneficiis & flagellis ad finem nostrum dirigis. 5. Tu es *Dominus* & *Monarcha* noster supremus, omne tam proprietatis, quam jurisdictionis jus & dominium in nos possidens.

II. Tu 6. es *Redemptor* noster, quia nos Sathanæ servos effectos, & æternæ damnationis

sionis reos, redemisti, & ad jus hæreditatis cœlestis transtulisti. 7. Tu es *Illuminator* noster, qui depulsi tenebris, fide, cognitio-ne supernaturali, revelatione & lumine glo-riæ collustras. 2. Tu es *Sanctificator* noster, qui Angelos & homines tuæ sanctitatis com-munione sanctificas. 9. Tu es *Refugium* no-strum, Susceptor noster, & Protector noster, ad quem in omni tribulatione recurrimus, & protegimur. 10. Tu es *Adjutor* noster, qui ad resurgentum à peccatis, ad Sathanæ insidias superandum, ad benè operandum & perseverandum, nobis auxilium præbes.

III. Tu 11. es *Fortitudo* nostra, cujus ope hostes nostros vincimus, carnis & mundi blandimenta ac martyria superamus. 12. Tu *Pater* noster es, qui nos filios tuos bonis tuis, donis gratiæ, gloriæ, & hæreditate cœlesti beas. 13. Tuis *Pax* nostra, in qua securè re-quiescimus. 14. Tu es *Vita* nostra, quâ vivi-mus, sine qua morimur. 15. Tu es *Spes* nostra, *Gloria* nostra, & *Salus* nostra, quia *Author* es donorum gloriæ, in quibus salus æterna consistit, simûlque es objectum sa-lutis æternæ. Te enim videre, amare, gu-stare, frui, æterna vita est tua & omnium Sanctorum.

Dilectio.

O mi Deus, quot titulos & causas habeo

K. 4

Te

Te toto corde diligendi ; si quælibet ex iis
merito totius cordis mei amorem requirit;
quid omnes simul exigent : O quantum su-
mus Tibi debitores, Domine Deus noster, tan-
to redempti pretio, tanto salvati dono, & tam
glorioso adjisci beneficio ? O quantum à nobis
miseris estimendus, amandus, benedicendus,
laudandus, honorandus & glorificandus, qui
sic nos amasti, sic salvasti, sic sanctificasti, sic
sublimasti ? S. Aug. Med. c. 17.

O vita mea, salus mea, Creator, Con-
servator, Adjutor, Protector ! In Te credo,
in Te spero, Te super omnia diligo. Occu-
pa totam regionem animæ meæ, ô Rex Re-
gum ! ut Te solum esuriam & sitiām, ad Te
suspirem, tuamque mellifluam faciem videre
& stuanter concupiscam.

O exultatio mea summa, possideam Te !
O beatitudo sempiterna, obtineam Te ! O
vita beata, dulcedo immensa, fortitudo mea
maxima, refugium meum & Liberator meus,
diligam Te ; sis mihi turris fortitudinis, &
spes mea dulcis in omni tribulatione mea.

Aspirations.

I. Quid retribuam Domino pro omnibus,
qua retribuit mihi ? Calicem salutari acci-
piam, & nomen Domini invocabo. Psal. 115. 13.

II. O quantum à nobis miseris es aman-
dus, quos sic amasti, salvasti, sublimasti ! S.
Aug.

Aug. l. c. *Benedic anima mea Domino, omnia, que intra me sunt, nomini sancto ejus.* Psal. 12.

III. O Vita, sine qua morior! O veritas, sine qua fallor! O via, sine qua devio! O salus, sine qua pereo! O lumen, sine quo in tenebris ambulo! In te solo vivo, sine te morior: in te aliquid sum, extra te nihil. *Granatensis.* Tibi sumiter adhaereo, tibi intimè jungi aveo, te toto cordis mei sinu complector.

P A S S U S XV.

Cognitio & Dilectio Domini nostri JESU Christi.

TEXTUS.

Si quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum, anathema sit. 1. Corinth. 16.

Cognitio.

1. **T**U mi JESU, es totus amabilis, totus desiderabilis, quia es Filius Dei, in quo habitat *omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ad Coloss. c. 2. unum cum omnium

K s præ-

prædictorum attributorum perfectionum di-
vinarum collectione. Tu enim es Christus
Filius Dei vivi. Matth. c.16. Deus de Deo,
lumen de lumine , consubstantialis Patri,
per quem omnia facta sunt.

II. Tuetiam, mi JESU, totus es amabilis,
propter sacrosanctam humanitatem tuam. Et
quidem primò quoad corpus tuum , virgi-
neum, purissimum , sanctissimum : corpus
enim tuum inexplicabili decore , maiestate,
gloria, & honore coronatum est. Tu es spe-
ciosus formâ , præ filiis hominum , & facies
tua decora : pulchra sunt membra tua , pul-
chra sunt verba , opera , mores. Sed longè
magis in cœlesti gloria , ubi superemines
omnes , & instar Solis inter sidera radias.

III. Tu quoque totus amabilis es, quoad
animam : illa enim donis , favoribus , meri-
tis, & perfectionibus , omnes angelos & ho-
mines longissimè superat. Nam non ad men-
suram dat Deus spiritum: Pater enim diligit
Filium, & omnia dedit in manu ejus. Joan.
c.5. 34. In Te enim est immensa puritas ab
omni peccato, gratia sanctitatis , es enim
Sanctus Sanctorum: gratia consummata, seu
beatitudo & visio beatifica : ingentes the-
sauri sapientiæ & scientiæ Dei : potestas
mortuos suscitandi , aliisque miracula pa-
randi : ac denique gratia capitis, tam mili-
tantis, quam triumphantis Ecclesiarum.

Di-

Dilectio.

Amantissime, dulcissime, pulcherrime, desideratissime animarum nostrarum Sponsor, JESU Christe, quis Te non diligit? Tu es candidus & rubicundus, electus ex milibus: gratulor tibi de incomprehensibili omnium bonorum & donorum tuorum thesauro, de cuius plenitudine omnes accipiunt; fac me, obsecro, illius partipem, ut te amplius cognoscam, & perfectius diligam.

Domine JESU, Gaudium meum, attrahere cor meum! Dulcis cibus, comedam te! Caput meum, dirige me! Melos meum, temperame! Odor meus, vivifica me! Verbum Dei, recrea me! Laus mea, latifica animam servi tui: intra in eam, gaudium meum, ut in Te gaudeat: lumen aeternum, illustra super eam, ut Te intelligat, cognoscat & diligit. S. Aug. folil. c. 1.

O via, veritas, & vita! Via, sine qua error; veritas, sine qua vanitas; vita, sine qua mors, dic verbum Domine, fiat lux, & videam lucem, & vitam tenebras; videam viam, & vitam in viam; videam veritatem, & vitam vanitatem; videam vitam, & vitam mortem. S. Aug. folil. c. 4.

Aspirationes.

I. Gaudeat mundus in rebus caducis

K. 6 &

& fluxis : Ego autem gaudabo in Domine,
& exultabo in Deo IESU meo. Habac. c. 3. 18.

II. Ostende Te mihi Consolator meus ! Vi-
deam Te Redemptor meus ! Diligam te vita
anima mea. S. Aug. solil. c. 1.

III. Esse sine JESU gravis est infernus:
esse cum JESU dulcis paradisus. Thom.
Kemp. L. 2. c. 8.

P A S S U S XVI.

Cognitio & dilectio Incarna-
tionis, doctrinæ & exem-
pli Christi.

T E X T U S.

*Sic Deus dilexit mundum, ut
Filium suum unigenitum da-
ret. Joan. c. 3.*

Cognitio.

I. **R**edemptor amabilis: tanta in Te arsit
flamma charitatis. ut propter nos ho-
mines, & propter nostram salutem, de cœlo
descenderis, formam servi susceperis, & in
similitudinem hominum factus sis, parvulus
na-

natus in Bethlehem , ut majore , teneriore-
que amore à nobis diligereris.

II. O Magister veritatis : tu exultâsti ut
gigas ad currēdam viam tuam , & tanquam
lucidissimus mundi oculus Sol , doctrinæ tuæ
radius tenebras discussisti : tanquam zelotes
urbes & oppida percurristi , ut Evangelium
ruum annuntiares ; ac tanquam Doctor per-
fectionis , omnem justitiam doceres , & inter
cætera , paupertatem divitiis , ignominiam
honoribus , ærumnas voluptatibus , ob re-
gnūm cælorum , esse anteponenda.

III. Verùm quia facilior & compendio-
sior via est per facta , quām per verba , lucu-
lentissima omnium virtutum exempla nobis
præbere voluisti : scilicet paupertatis , humi-
litatis , mansuetudinis , patientiæ , obedien-
tiæ , castitatis , ac charitatis Dei ac proximi .
*Exemplum dedi vobis ; ut quemadmodum ego
feci , ita & vos faciatis . Joan. c. 13. 15.*

Dilectio.

Hac sunt beneficia tua Domine , quæ nisi
saxeum sit & ferreum cor meum , emollient ,
necessæ est , & amore inflamment . Fecisti enim
me , cùm non essem ; redemisti me , cùm periis-
sem ; perieram , moriūs fueram , ad mortuum
descendisti ; mortalitatem suscepisti , ad servum
Rex venisti ; ut servum redimeres , te ipsum
eradicasti ; ut ego viverem . Tu mortem susce-
pisti , mortem vicisti . S. Aug. solil. c. 3.

Jam quantum est beneficium, quod ore proprio nos docueris, non ut olim per Prophetas; quod verba vitae protuleris, viam veritatis ostenderis, evangelium tuum annuntiaveris, mysteria Divina revelaveris, & occulta sapientiae tue, tanquam amicis manifestaveris. O quis propterea Te non intimè diligat? Quis verba tua non avidè audiat, ea in corde conservet, & tanquam dulcia faucibus eloquia indesinenter ruminet?

Quam magnum denique, ô Salvator! est beneficium, quod salutis & perfectionis viam vitae tue exemplis nobis signaveris? O quid retribuemus tibi pro omnibus beneficiis, quae præstasti nobis, nisi ut vestigia tua legamus, & exempla, ex amore Tui, imitemur?

Aspirations.

I. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Joau. c. i.

II. Quantò pro me vilior, tantò mihi carior.
S. Bernard.

III. Candor lucis aeterna, speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius, Sap. c. 7. Illumina me, doce me, trahe me post te.



PASSUS XVII.

Cognitio & Dilectio Passionis & mortis D. N. JESU Christi.

TEXTUS.

*Qui dilexit me, & tradidit
semetipsum propter me. Ad
Gal. c. 2.*

Cognitio.

I. **O** Dulcissime Redemptor! Quid commeruisti, ut adeò dure tractareris? Ut pro me, ex amore, sustineres pauperiem, derelictionem, ignominiam, contumeliam, illusionem, summos in membris omnibus dolores, verbera, vulnera, tormenta, flagella, clavos, spinas, lanceam, ac mortem probrossimam.

II. O quod scelus tuum? Qua noxa tua? Qua causa mortuus? Quae occasio tuae damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris; ego culpa occisionis; ego tue mortis meritum; tua vindicta flagitium. O mirabilis censura conditio! peccat iniquus, & punitur iustus: de-

lin-

linquit reus, & vapulat innocens: quod perpetrat servus, exsolvit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. S. Aug. med. c. 7.

III. O Nata Dei, quò tua flagravit charitas? Quò processit piezas? Quò descendit humilitas: ego iniquè egi. Tu pœna multaris: ego inobedienti extiti, Tu obediens scelus inobedientia luis: ego gula parui, Tu inedia afficeris: me ad illicitam rapuit concupiscentiam arbor, Te perfecta charitas duxit ad crucem. S. August. l.c.

Dilectio.

Nunc igitur Rex meus, & Salvator meus, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Non enim inveniri potest in corde hominis, quod condignè talibus referatur præmiis: totum me tibi debeo, quia creâsti me; totum me tibi debeo, quia conservâsti me: quid debeo, quia refecisti & redemisti me? Et mortem crucis sustinuisti pro me. O si mille vitas tibi offerre liceret! O si millies mortem oppetere valerem! Cùm verò id non liceat, suscipe Domine, in pignus amoris & gratitudinis me totum cum omnibus, quæ habeo & valeo. Suscipe universam libertatem meam, memoriam, intellectum & voluntatem: amorem Tui solum cum gratia tua mihi dona, & dives sum satis.

Affl-

Aspirationes.

I. O vos omnes, qui transitis per viam,
attendite, & videte, si est dolor sicut dolor
meus. Thren. c. I. 12.

II. Respice vulnera pendentes, sanguinem
morientis, pretium redimenti, cicatrices resur-
gentis. Caput habet inclinatum ad osculari-
dum, cor apertum ad diligendum, brachia
extensa ad amplexandum, rotum corpus ad
redimendum. S. Aug.

III. Hec quanta sint cogitate, hac in sta-
tera cordis vestri appendite; & totus vobis
figatur in corde, qui totus pro vobis fixus fuit
in cruce. S. Aug. L. de Virg.

P A S S U S XVIII.

Cognitio & Dilectio Sanctissi-
mi Eucharistiae Sacramenti.

T E X T U S .

Caro mea verè est cibus, & san-
guis meus verè est potus.
Joan. c. 6.

Cognitio.

I. Salvator noster discensus ex hoc mun-
do ad Patrem, Sacmentum hoc insti-
tuit,

tuit, in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens suorum mirabilium. Concil. Trid. sess. 13. c. 2. Est igitur hoc Sacramentum altaris Sacramentum amoris, quod ipse ex amore nostri instituit; ad quod ex amore invitat; & cuius finis est, unio amoris.

II. Sumi autem voluit Dominus hoc Sacramentum amoris tanquam spiritualem animæ cibum, quo dilectos suos aleret, confortaret, & vitâ suâ imbueret: Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Deinde tanquam antidotum, quo eos à culpis quotidianis liberaret, & à lethalibus noxis præservaret. Denique tanquam pignus futuræ gloriæ & felicitatis perpetuæ præberet; ad eoque symbolum vivum illius corporis esset, cuius ipse est caput: cuique illos tanquam membra, arctissima, fidei, spei, & charitatis connektione astringeret.

III. Eum in finem tot ipse miracula in hoc admirabili Sacramento patrat: panem in corpus, & vinum in sanguinem suum convertit: simul in innumeris per mundum universum locis præsentem sistit. Tot virtutes exercet; misericordiæ, nos famelicos paseens: liberalitatis, se totum nobis donans: charitatis, se intimè nobiscum uniens. Tot erga nos officia exercet, Pastoris, Medici, Magistri, Redemptoris, Consolatoris, Salvato-

toris: ac denique tot ac tanta, amore nostrī,
à malis christianis, hæreticis & infidelibus
patitur.

Dilectio.

O Pastor & Redemptor animarum no-
strarum! quanta est vis tui erga nos amoris,
quem in sanctissimo Eucharistiae Sacramento
patefacis? Sane nisi esset infinitus, tam inau-
dita non patraret. O Sacramentum amoris,
concede mihi, ut arcto tibi amoris vinculo
conglutiner!

O pasce me, vivifica me, munda me,
& pignus gloriæ perpetuæ mihi tribue, ut
tanquam membrum vivum, & tibi capiti
nostro, charitate conjunctum arctius Te
complectar, ob admirandam hujus mysterii
bonorum abundantiam. Tu enim in eo, ju-
stis gratiam, peccantibus veniam, debilibus
robur, lætitiam mœstis, diligentibus exulta-
tionem, nutantibus spem, credentibus pa-
cem, victoriam certantibus, captivis libera-
tem, atque defunctis requiem largiris.

O vivificum & divinissimum Sacra-
mentum, ostende in me thaumaturgam vim
tuam, & muta me in alium hominem.
Exerce in me misericordiam, liberalitatem,
charitatem, hásque virtutes tuas mihi impri-
me. Ostende Te esse animæ meæ Pastorem,
Medicum, Magistrum, ut à Te confortatus,
san-

234 SEMITĀ PERFECTIONIS.

sanatus, illustratus, ex toto corde atque ex tota anima Te diligam.

Aspirationes.

I. Memoriam fecit mirabilem suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit sumentibus se. Psal. 110. 4.

II. O praelarum convivium! o sacrosanctum mysterium, omni admirazione dignissimum! in quo verus Deus & homo coniunctur, in quo Christus manducatur & bibitur. S. Laur. Justin. serm. de Euchar.

III. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus; mens impletur gratia, & futura gloria nobis pignus datur! Ecclesia.

PASSUS XIX.

Cognitio & Dilectio Beneficiorum DEI.

TEXTUS.

Deus dat omnibus affluenter.

S. Jacobi c. i.

Cognitio.

I. Numerabilia tua beneficia, mi Deus, tam communia, quam particularia, contem-

templans, quis totidem spicula dilectionis cordi suo infigi non sentiat? Quis præ amoris dulcedine non langueat, non colliqueat & contabescat? Nam 1. Si communia considerem, Tu nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem tuam condidisti. 2. Tu nos toto vitæ nostræ tempore, tantâ curâ & benevolentâ conservâsti. 3. Tu tantâ rerum varietate nos sustentâsti, pavisti, & cooperiasti. 4. Tu euin in finem cœlum cum Sole, luna & stellis; terram cum elementis, volucribus, piscibus, plantis, frugibus, tot annorum millibus propter nos conservâsti, in quibus millena beneficiorum millia latent. 5. Tu pretiosa Filii tui morte & sanguine nos redemisti, & ex Sathanæ captivitate nos vindicâsti.

II. Beneficia autem particularia, quis recenseat aut enumeret? 1. Tu corpus mihi dedisti, non cœcum, non surdum, non mutum, non claudum aut mancum, sed integrum & sanum. 2. Tu me non amentem, non stultum, stolidum & bardum, sed ratio-nis compotem, & ingenio bono præditum fecisti. 3. Tu me à parentibus honestis & catholicis, non ab infamibus, impiis, hæreticis, judæis, aut ethnicis nasci voluisti. 4. Tu ab infantia Angelum custodiæ meæ deputâsti. 5. Tu in pueritia, ne in aquam, aut ignem laberer, aut lapsu,

caput, brachia, pedesve frangerem, custodiisti.

III. Tu 6. providentiâ tuâ plus quam paternâ de omnibus necessariis mihi providisti. 7. Tu in juventute mea ab innumeris perversio[n]is & seductionis periculis me præservâsti. 8. Tu suaviter & efficaciter ad hunc amabilem statum me vocâsti, tõque annis in eodem conservâsti. 9. Tu à peccatis meis, per sacramentum Pœnitentia[n]e, toties me mundâsti; toties corpore & sanguine tuo me refecisti. 10. Tu tot inspirationibus, concionibus, instructionibus, exemplis, libris spiritualibus, & aliis mediis, ad vitam bonam adjuvisti, plurimis donis internis & externis, naturæ & gratiæ dotâsti: atque, ut confido, ab æterno certum, secundum prædestinationem tuam, gloriæ gradum præparâsti, aliisque innumerabilibus beneficiis occultis & ignotis immeritum cumulâsti.

Dilectio.

O quid rependam amatori tanto? Quid Benefactori liberalissimo retribuam? Utinam tot haberem corda, quot accepi beneficia, cuncta libens offerrem, & obsequio ejus dedicarem. Utinam, mi Deus, tot linguis præditus essem, quot donis & favoribus à Te sum dotatus, ut beneficia tua toto Orbe deprædicarem, verum cùm illa desint, do,

do, quod habeo. Suscipe Domine corpus & animam, sensus & potentias, cor & affectus, vota & desideria, verba & opera, immo quidquid sum, habeo, & valeo. Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, redimis Tibi, neque aliud possumus; suscipe igitur omnia in pignus perpetui amoris & gratitudinis.

Aspirations.

I. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributions ejus. Benedic anima mea Domino, & omnia, qua intra me sunt, nomini sancto ejus. Psal. 102. 1. 2.

II. Deus, quando ignorabam, me instruxit; quando errabam, me reduxit, quando peccabam, me correxit; quando steti, me tenuit; quando ivi, meduxit, quando veni ad ipsum, me suscepit; nec pro his omnibus, quod rependam, habeo, nisi tantum, ut diligam. S. Bern. in illud Psalmi: Quid retribuam?

III. Quid retribuam Domino, pro omnibus, qua retribuit mihi? Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.

Psal. 118. 5.



PAS-

P A S S U S XX.

Cognitio & Dilectio Charita-
tis, seu ejusdem naturæ
& essentiaæ.

T E X T U S.

*Diliges Dominum Deum tuum,
ex toto corde tuo, & ex tota
anima tua, & ex tota forti-
tudine tua. Deut. c. 6. 5.*

Cognitio.

Charitas est virtus, quâ Deus non ob-
timorem pœnæ, nec ob spem præmii;
sed propter semetipsum, & ob suam boni-
tatem diligitur.

Actus Charitatis:

1. Complacere sibi, in summa bonitate
Dei, & affectu, Ipsi, tanquam summo
bono, conjungi.
2. Velle Deo suum bonum intrinsecum,
ut essentiam, potentiam, sapientiam,
bonitatem, &c. & gaudere, quòd sic
tam perfectus.

3. De-

3. Desiderare DEO gloriam, bonumque externum, ut videlicet ejus nomen sanctificetur, à nobis & aliis, atque ut omnia cedant ad majorem ejus gloriam.
4. Dolere de impedimentis gloriae Dei, v.g: de peccatis nostris & alienis, aliisque obstaculis, & ea efficaciter removere, eò quod sint injuriae Dei.
5. Velle frequenter conversari & loqui cum Deo, aut de Deo.
6. Desiderare magis Deo frui in hac vita; eique magis uniri per observationem mandatorum, per perfectionem, & consiliorum evangelicorum adimpletionem.
7. Desiderare eodem magis & citius frui in patria, exemplo S. Pauli, dicentis:
Cupio dissolvi, et esse cum Christo.
8. Diligere omnia, quae Dei sunt, præcipue tamen proximum.
9. Lætari de omni eo, quod Deo placet, sive prosperum sit, sive adversum, sive dulce, sive amarum.
10. Tristari de omni eo, quod Deo displaceat, & ejus iussis repugnat.
11. Omnia adversa, etiam ipsum martyrium, propter Deum, cum gudio sustinere.
12. Charitatem ardenter, instantérque à Deo postulare, & omnia ei adversaria repudiare.

L Di-

Dilectio.

O quis charitatem , virtutum omnium reginam, tantopere à Deo præceptam, non quærat, non ambiat, non diligit? Quæ adeò ad salutem est necessaria , tantaque bona complectitur ; Si enim linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut assonans. 1. Corinth. 13. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam , charitatem autem non habuero , nihil sum : & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam ; charitatem autem non habuero , nihil mihi prodest. Charitas nunquam excidit : charitas patiens est , benigna est, non æmulatur , non irritatur , non cogitat malum. O quis charitatem , tot fructuum præstantium feracem , non optet & expetat ?

Petitio.

Deus , qui diligentibus Te , bona invisia præparâsti : da nobis inviolabilem tuæ charitatis affectum ; ut Te in omnibus & super omnia diligentes , promissiones tuas , quæ omne desiderium superant , consequamur.

Aspirationes.

1. Ignem veni mittere in terram ; & quid volo , nisi ut accendatur ? Luke c. 12. 49.

II.

II. O ignis, qui semper ardes, & nunquam
extingueri! ô amor, qui semper uris, & nun-
quam tepeſcis! accende me. & accendar,
ut cor tuum diligam Te. S. Aug.

III. Omnia detrimentum fecit, & arbitror
ut stercore, ut Christum lucrifaciam. Ad
Phil. c. 3. 8.

PASSUS XXI.

Charitas Cordis.

TEXTUS.

Præbe, fili mi, cor tuum mihi,
& oculi tui vias meas custo-
diant. Proverb. 23. 26.

Cognitio.

DEUM diligere ex toto corde, & ex
tota anima, & ex tota mente, quod
mandatum divinum præcipit, duplice ra-
tione explicari potest. Modus prior est,
1. Diligere ex toto corde, est mortificare in
eo, quidquid est amoris proprii. 2. Ex tota
voluntate, est negare illi, quidquid illa
vult, ut expleatur, quod Deus vult. 3. Ex
tota anima: est refrœnare omnes passio-

nes & appetitiones , ut omnes ejus affectus
eant post Deum . 4. Ex tota mente , est
captivare proprium judicium , in obsequium
fidei , & divinæ voluntatis executionem.
5. Ex omnibus viribus , est mortificare sen-
sus , & potentias animæ applicare ad obser-
vationem Divinæ legis.

Altero modo , quo ea h̄c sumimus , di-
ligere Deum ex toto corde , anima & viri-
bus , est ita diligere , ut 1. Phantasia nostra
veisetur circa Deum , cūmque sibi imagine-
tur , meliore modo , quo potest , & ad amo-
rem & cognitionem aptiōre : v. g. velut
lucem quandam purissimam , immensam
& infinitam ; aut veluti Solem fulgidissi-
mum , Sole nostro millies clariorem & pu-
riorem ; sed omni materiâ & imperfectione
carentem . 2. Memoria crebrò seu identidem
de Deo cogitet , cogitationesque suas ad
Deum dirigat , ac reflectat . 3. Intellexus ,
adjutus sapientiæ supernaturalis & fidei lu-
mine , Deum , ejusque attributa & perfectio-
nes crebrò meditetur , iuminet & perpen-
dat , & magis , magisque intelligere ac pene-
trare studeat . Multum id ad amorem con-
ducit ; Ignoti enim nulla cupido , amor nullus .
4. Voluntas varijs & sublimibus amoris acti-
bus sese occupet , ac cum Deo conjungat .
Quem in finem varios amoris actus h̄c sub-
jungimus , ut exercitium charitatis cordis ,

seu

seu interni & affectuosi amoris practicè ad-discatur.

Dilectio affectuosa.

1. Amo Te, Deus meus, summum bonum meum, ex toto corde, *amore appretiationis & excellentiae*; quo omnibus rebus creatis infinitè Te præfero: omnibus libens propter Te renuntio, omnibus divitiis, honoribus, voluptatibus, & vita propriæ Te longissimè antepono.
2. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore complacentiae*, quo in Te, tuis personis, & perfectionibus eminentissimis, summè mihi complaceo.
3. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore unionis*, quo tibi, quantum possibile est, memoriâ, intellectu, & voluntate intimè uniri desidero.
4. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore gaudii*; gaudens, & spiritu exultans de tua præsentia, dulcedine, pulchritudine, cæterisque tuis perfectionibus infinitis.
5. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore desiderii*: quo Te Deum meum, summum & unicum bonum meum, habere & possidere desidero.
6. Amo Te, Deus meus, ex toto corde, *amore contritionis*; amore enim Tui, do-

leo de cunctis peccatis meis , quòd iis
Te summum bonum meum offendierim,
quem super omnia diligo.

7. Amo Te , Deus meus , ex toto corde
meo , *amore conformatio-*nis , quo volun-
tatem meam in omnibus prosperis & ad-
versis , in vita & morte , tuæ sanctissimæ
& rectissimæ voluntati penitus confor-
mo , ac præcepta tua , omnemque vo-
luntatem tuam amplecti & adimplere
desidero.

8. Amo Te , Deus meus , ex toto corde
meo , *amore oblationis* , quo meipsum
& omnia mea , uti & cogitationes , verba ,
atque opera Tibi offero ac consecro.

9. Amo Te , Deus meus , ex toto corde
meo , *amore congratulationis* , quo Tibi
de infinitis excellentiis tuis & bonis ex
animo congratulor & collator.

10. Amo Te , Deus meus , ex toto corde ,
amore pacis , quo pacificè conjungar
1. mecum. 2. Cum Te Deo meo. 3. Cum
proximo , ut in Te solo semper securè
requiescam.

11. Amo Te , Deus meus , ex toto corde
meo , *amore odii mei ipsius* ; quo me , car-
nem meam , & peccata odi , ut Te amem
amplius.

12. Amo Te , Deus meus , ex toto corde
meo , *amore benevolentia* , quo omne
bo-

bonum intrinsecum & extrinsecum ex
animo tibi volo, cupio, opto & faveo.

Petitio.

Deus, qui diligentibus Te facis cuncta
prodeesse, da nobis multiplicis hujus chari-
tatis ardentes affectus, ut Te tote corde
nostro diligamus, & à Te vicissim diligi-
mereamur.

Aspiraciones.

I. Pone me ut signaculum super cor tuum.
Cant. c. 8. 6.

II. Ponderibus suis aguntur omnia, &
loca sua perunt: pondus meum, amor meu,
illo feror, quounque feror. S. Aug. L. 13.
Confess.

III. In toto corde, & in omni virtute
sua dilige illum, qui Te fecit. Eccli. c. 7. 32.

P A S S U S XXII.

Charitas oris & locutionis.

T E X T U S.

Ex abundantia cordis os loqui-
tur. Matth. c. 12.

Cognitio.

AMOR non solùm se prodit affectibus, & operibus; verùm etiam verbis & sermonibus: dulce enim est de dilecto loqui: inspice cor tuum; si amas voluptates & gaudia mundi; si amas honorem & dignitates, aut hominem, aliásve creature: dulce est de dilectis & cum dilectis loqui: Ex abundantia cordis os loquitur: & quod quisque bibit, hoc eructat. Navita de ventis, de tauris narrat arator: enumerat miles vulnera, pastor oves. Simili ratione, si tu amore Deum prosequeris, si JESUM diligis, si virtutem, cœlum, regnum Dei amore complecteris; ex abundantia cordis os tuum loquetur. Hunc igitur amorem primo corde concipe, deinde lingua deprime.

1. In quotidianis colloquiis.
2. In amicorum visitationibus.
3. In infirmorum consolationibus.
4. In catechesibus & exhortationibus.
5. In tribunali sacro, cunctisque occasionibus.

Dulcor in his, indicium est amoris; trædium & nausea in his sermonibus signum repuditatis.

Dilectio.

O jugum sancti amoris! quam dulciter capis! gloriose illaqueas, suaviter premis, de-

delectanter oneris, fortiter stringis, prudenter eridis, & linguam in laudes & gloriam tuam pie inservias. O amor! ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectuum, subtilitas intellectum, desideriorum sanctitas, sermonum & locutionum pietas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas! S. Bern. de dilig. Deo. O amor! linguam meam erudas, & in Dei laudes, piisque sermones laxes.

Petitio.

Domine JESU, qui cum discipulis tuis loquebaris de regno Dei: da mihi linguam sanctam, linguam igneam, & loquelas amoris dulcedine plenam; quâ libenter ac dulciter de Te Deo meo, ac de regno tuo, rebûisque spiritualibus sermones instituam; non verò de regno mundi & vanitatis, non de regno diaboli & carnis. Da quoque, ut in exhortationibus & exhortationibus, in colloquiis & conversationibus cum proximis, omnes verbis ædificem, & sancti amoris tui igne cunctos succendam, ad gloriam tuam. Amen.

Aspirationes.

- Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aspernans. I. Corinth. c. 13.

II. Sancti viri amando discunt, quod ad-
cendo proferunt. S. Greg. in Ezech.

III. O sancte Spiritus! calculo ignito
charitatis perpurga linguam & labia mea; ut
libenter & cum gustu de DEO ac divinis
colloquar.

PASSUS XXIII.

Charitas operis.

TEXTUS.

*Filioli, non diligamus verbo &
linguâ, sed opere & veritate.*
I. Joan. c. 3. 16.

Cognitio.

Quisquis Deum vero & sincero amore
prosequitur, opere ipso suam erga
Deum & proximum charitatem demon-
strat; rectè enim asserit Magnus Gregorius:
Probatio dilectionis, exhibitio est operis: Qui
enim dicunt, & non faciunt; verbis laetant,
opus denegant; amore affectivo sed ineffi-
caci se fallunt; vero autem efficacique amo-
re carent. Quare verus Dei amator conatur
pro viribus præstae sequentia:
I. Præcepta DEI exactè observare.

2. Cha-

2. Charitatem erga Deum & proximum re ipsâ demonstrare.
3. Opera sua quotidiana , maximâ , quâ potest , perfectione peragere.
4. Ardua & magnifica pro DEI amore & gloria animosè aggredi & perficere.
5. Adversa & mala pro ipsius honore fortiter tolerare.
6. Atque omnia hæc prædicta , non timore pœnæ , non præmii spe , sed purissimâ amoris Dei intentione præstare.

• *Dilectio.*

O quis mihi tribuat , Deus meus , ut meum erga Te amorem opere & veritate constanter demonstrem : Ut opera mea omnia , maximâ , quâ possum , perfectione obeam : Ut nulos labores , nullas adversitates , ardua nulla , amore Tuî , refugiam : Qui enim amat , non laborat , & omnis labor non amantibus gravus est ; solus amor est , qui difficultatis nomen erubescit . S. Aug. L. 13. Confess. Nihil durum amanti , nil amarum , nil grave , nil lethale computat verus amor . Quod ferrum , qua vulnera , qua pœna , qua mortes , amorem prevalent superare perfidum ? Amor est impenetrabilis lorica , respuit jacula ; gladium excutit , periculis insultat , mortem irridet . Hoc me , obsecro , mi Deus , amoris jaculo confige ; hâc me obarma lo-

250 SEMITA PERFECTIONIS.

ricâ; & nil me à Te separare valebit. Imò si fractus illabatur Orbis ; impavidum ferient ruinæ.

Petitio.

Quæsumus , omnipotens Deus , tribue nobis famulis tuis , amare Te desiderantibus , amorem in opere re lucentem , in tribulatione gaudentem , in labore patientem , in exercitiis quotidianis exactum , in intentione purum , ut semper , quæ Tibi sunt placita , & dictis exequamur & factis.

Aspiraciones.

I. Pone me ut signaculum , super brachium tuum. Cant. c. 8. 6.

II. Machina mentis , vix amoris , qua illam & è mundo extrabit , & in alta tollit. S. Gregor. in Ezech.

III. Da mihi , Domine , amorem aetuosum , instar ignis , nonquam otiosum ; sed pro gloria tua , & proximorum salute , indebenter operantem.

P A S S U S XXIV.

Charitas in mandatorum
observatione.

TEX-

TEXTUS.

*Qui habet mandata mea, &
servat ea; ille est, qui dili-
git Me. Joan. 14. 15.*

Cognitio.

Perfectio christiana consistit in charitate, non quidem concupiscentiæ, quæ ad spem pertinet; sed in charitate benevolentia; principaliter secundum dilectionem Dei, secundariò secundum dilectionem proximi. (Ita D. Thomas.) De quibus dantur præcepta principalia Divinæ legis, Deut. c. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.* Et Levit. c. 9. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* De quibus Salvator ait Matth. c. 22. *In his duobus præceptis universa lex penderit & Propheta.* Hæc duo præcepta totius Decalogi sunt compendium, cuius pars ad dilectionem Dei, pars altera ad dilectionem proximi spectat. De quibus quoque S. Joannes in epist. 1. c. 5. 3. *Hac est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Et c. 2. 5. *Qui servat verbum ejus, in hoc charitas Dei perfecta est.*

Dilectio.

Quis igitur perfectionis studiosus, man-

data Domini implere non satagat , ut perfectè Deum diligat ? Quid enim sunt præcepta, quid lex , nisi lux animæ ? Præceptum Domini lucidum , illuminans oculos . Psal. 18. 9. Quid lex est , nisi Sol mundi ? Nam 1. instar Solis , ut diximus , illuminat , Mandatum lucerna est . Et lex lux . Proverb. c. 6. 22. 2. Instar Solis est omnibus manifesta . Signatum est super nos lumen vultus tui Domine . Psal 4. v. 7. 3. Instar Solis ardorem cum luce habet . Nonne cor ardens erat in nobis , dum aperiret nobis scripturam ? Lucæ c. ult. v. 32. 4. Instar Solis Orbem regit & fœcundat , sine cuius luce perirent omnia ; errores , mendacia ac tenebræ succederent . 5. Instar Solis est causa universalis , cunctis se accommodans . Et quemadmodum Sol cum floribus flores , cum arboribus arbores , cum animantibus animalia producit ; ita quoque lex , ut scribit S. Chrysostomus Orat. 75. Est adiutorix senectutis , magistra juventutis , paupertatis auxilium , divitiarum custos , cum virginibus lilia puritatis , cum martyribus rosas charitatis , cum pauperibus violam humilitatis producit . O lex sancta , lex immaculata , lex lucida & illuminans , lex amœna , & super mel dulcis ! Illustra me , accende me , dirige me , perfice & sanctifica me , ut Legislatorem meum summum , summâ charitate diligam .

Petitio.

Dilata, Domine, cor meum charitate;
 quâ legem tuam perfectè impleam, & viam
 mandatorum tuorum alacriter decurram;
 ut cum Vate Regio afferere valeam: *Viam*
mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâsti
cor meum. Psal. 118. 32. donec ad viæ & vitæ
 hujus metam, patriamque cœlestem per-
 veniam.

Aspirationes.

I. *Si vîs ad vitam ingredi, serva man-*
data. Matth. c. 19. 17.

II. *Tu mandâsti, mandata tua custodiri*
nîmis; utinam dirigantur via mea ad custo-
dendas justifications tuas. Psal. 118.

III. *Custodiam legem tuam semper, in*
saculum, & in saculum faculi. Psal. 118.

P A S S U S XXV.

Charitas in cura temporis.

T E X T U S.

Non defrauderis à die bono, &
particula boni doni non te
prætereat. Eccli. c. 14. 14.

Cogni-

Cognitio.

Tempus, ex mente Aristotelis, est numerus motūs, secundūm prius & posterius. Aliud est præsens, aliud præteritum, aliud futurum. Hoc tempus est breve, quia instar fulguris avolat. Est irrevocabile, quia semel elapsum, reduci nequit. Est nobile & pretiosum, quia nullo auro, argento ve
emi aut solvi potest. Ideoque amor DEI amantem excitat, ut tempus illud pro lucris æternis concessum, magni æstimet, ac minimè negligat: sed singulis temporum spatiis pro Dei gloria & æternitate labore, coronamque sibi perennem, pro cœlesti patria, fabricet: cogitique cum pictorum principe: *Pingo æternitati. Lego, scribo, studeo, oro, labore, æternitati.*

Dilectio.

O Dator temporis, & Rex æternitatis! quantâ diligentia & accuratione hoc breve vitæ meæ spatum mihi impendendum forer, ut Te in cœlo majore amore, laude, gloriâ prosequi possem totâ æternitate? **O** quæ lingua ineffabile & immensum temporis pretium exprimat? Dicant damnati, quanto emerent pretio vel unam pœnitentiæ agendæ horulam. Loquantur Beati, quanti æstimarent unam, meritis augendis,

con-

concedendam dieculam. Et quām pauci mortales hoc debitē apprehendunt? *Volat verbum irrevocabile; volat tempus irremediabile, nec adiuit insipiens, quid amittat.* Liber fabulari, ajunt, donec prætereat hora. O donec hora prætereat! quam tibi ad agendum pœnitentiam, ad obtainendum veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio Conditoris indulserat. O donec transeat tempus! quo diuinam debueras propitiare pietatem, prope rare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. S. Bern. ad Schol. O deflendam cœcitatem & incuriam mortalium! nihil pretiosius tempore, & heu nihil hodie vilius reputatur, transiunt dies salutis, & nemo recogitat!

Petitio.

Adsit nobis, Domine, gratiæ tuæ efficacis auxilium, ad tempus præteritum bonis operibus redimendum: ad tempus præsens virtutum actibus fructuosè impendendum: ad tempus futurum in amore Tuî quām optimè collocandum; ut magna conqueramus merita in terris, quibus digni reddamur, æternū Te glorificare in cœlis.

A*pi-*

Aspirationes.

I. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. 2. Corinth. c. 6.

II. Caro mibi valent stilla temporum. S. Aug. L. I. Conf. c. 21. Ama & fac quod vis: tempus bene impenditur, dum amori sancto donatur. S. Aug. in Joan.

III. Dum tempus habemus, operemur bonum, ad omnes, maximè ad domesticos fidei. Ad Gal. c. 6. 10.

P A S S U S XXVI.

Charitas in conformitate cum voluntate Divina, seu in resignatione.

T E X T U S.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Matth. c. 6.

Cognitio.

REsignatio est actus charitatis Divinae, quo homo voluntatem suam cum Divina in omnibus conformat. Amantium enim solet esse, unum velle & unum nolle:

cor

cor unum, & anima una. Hæc autem resignatio, & cum voluntate Divina conformitas, tribus Dei attributis innititur. I. Sapientiæ Dei, quâ is omnia novit, & nihil homini in hac vita accidere potest, quod ipse ab æterno non sciverit, præviderit, expanderit, ejusdémque utilitates & commoda cognoverit. II. Omnipotentiæ Dei, qui omnia potest, & omnia operatur in omnibus, excepto peccato, quod permittit. III. Bonitati Dei, qui omnia in bonum electorum suorum ordinat : *Diligentibus Deum omnia cooperatorantur in bonum.* Rom. 8. 28. Et millies majorem suorum curam gerit, quam ullus pater aut mater pro unigenito filio, imò quam omnes parentes simul. Hi sunt tres digiti, quibus Deus appendit, regit & continet Orbem terrarum.

Actus:

1. *Omnia quæ accidunt, voluntati Divinæ adscribere ; exemplo Jobi dicentis: Dominus dedit, Dominus abstulit, c. r. Sicut Domino placuit, ita factum est.*
2. *Voluntatem Dei in omnibus ut justam agnoscere & venerari, exemplo Davidis : Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Psal. 144. 17.

3. Om-

258 SEMITA PERFECTIONIS.

3. Omnia velle facere ad nutum Divinæ voluntatis ; & ideo nihil ordiri , nisi eodem prius explorato ; exemplo S. Pauli, dicentis : *Domine , quid me vis facere ? Act. 9. 6.*
4. Adversa, quæ eveniunt , generoso silen-
tio concoquere, exemplo Vatis Regii:
dicentis : *Obmutui , & non aperte os
meum, quoniam Tu fecisti Psal 38. 10.*
5. In beneplacito Dei solo super omnia de-
lectari ; exemplo Beatorum in cœlis,
magis de executione voluntatis Divi-
næ, quam de gloria propria, lœtantium.

Dilectio.

Anima mea , si verè Deum diligis , cor
ūnum & voluntatem unam cum illo habeas
necessæ est : relinque te, resigna te, & frue-
ris magna pace. Da totum pro toto , nihil
excipe, nihil repeate, sta purè & inhæsitanter
in Domino , & habebis illum. Nec te a sti-
mnes magnum, aut specialiter dilectum, si in
magna fueris devotione ac dulcedine , in
istis non consistit profectus , aut perfectio
hominis , sed in offerendo te totum volun-
tati Divinæ , non quærendo quæ tua sunt;
nec in tempore , nec in æternitate. Offer
ergo te , si adversa immittit , causas ille
novit , quia novit omnia, & scit in bonum
tuum ea convertere. Si castigat , Pater est;
quem

quem amat, flagellat, omnia de paterna manu accepta; non potest esse malum, quod ab infinita Bonitate tibi submittitur.

Petitio.

Fac me, Domine, voluntatem meam tuæ ita in omnibus conformare; ut inter prospera & adversa, in opulentia & inopia, in consolatione & desolatione, in honore & contemptu, in bello & pace, in morbo & sanitate, in longa vita & brevi, in tempore & æternitate, semper in pace & gratiarum actione permaneam: quoniam Tu omnia facis, omnia ordinas, ac in bonum nostrum dirigis.

Affpirationes.

I. Pater, si vis, transfer calicem istum à me; verantamen, non mea, sed tua voluntas fiat. *Lucæt. 22. 42.*

II. Domine, doce me facere voluntatem tuam; quia Deus meus es Tu. *S. August. med. c. 9.*

III. Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. *I. Reg. 3. 18.* Vel cum S. Gertrude: Domine, fiat in me, de me, per me, circa me, & circa omnia mea, tua sanctissima voluntas, in tempore & æternitate.

PAS-

PASSUS XXVII.

Charitas in Præsentia Dei.

TEXTUS.

Ambula coram Me, & esto perfectus. Gen. c. 17.

Cognitio.

ANima mea, si ad amorem Dilecti tui,
atque ad perfectionem aspiras, utere
hoc efficacissimo medio, à Sanctis tanto-
pere commendato & usurpato, ut memoria
assidua divinæ præfentiæ in te vigeat: id
est, ut Deum tibi præsentem habere nitaris,
sive, excitato fidei actu, te in Deo, veluti
piscem in aqua, aut spongiam in mari, ejus
immensitate circumfusum aspicias; sive
Deum in te, & in anima tua intimè præ-
sentem contempleris. At, velim consideres
Deum, non nudè præsentem, sed ac si to-
tus esset oculus, te & omnia tua conside-
rans, totus amor te diligens, totus boni-
tas & liberalitas tibi benefaciens, te conser-
vans, regens, gubernans, ac bono tuo ita
invigilans, tanquam si nihil aliud haberet
agendum.

Actus:

Actus:

1. Vivæ fidei actu, Deum sibi intimè præsentem, omniāque cernentem credere.
2. Hunc, illūmve defectum, in præsentia Dei, emendare, passionem domare, pravam consuetudinem deponere, &c.
3. Opera ordinaria, vel opus unum, quod obire soles negligentius, in præsentia Dei corrigere, exactiusque obire.
4. Deum præsentem adorare, sperare ab illo omnia, eundem amare, revereri, timere, gaudere, aliisve virtutum actibus prosequi.
5. Denique veduti panis ad omnes cibos; ita præsentia Dei ad omnia peccata emendanda, ad opera ordinaria omnia perficienda, ad virtutes omnes exercendas, & acquirendas adhiberi potest.

Dilectio.

Domine Deus meus ; ego sum in Te
 veluti pīscis in aqua, lava me! sum in Te
 velut avis in aëre, sustenta me! sum in Te
 velut infans in utero: serva me! sum in Te
 velut pupilla in oculo, custodi me! sum in
 Te velut carbo extinctus in igne, reaccen-
 de me! Tu quoque, mi Deus, es in me,
 velut Magister in schola; doce me: velut
 Medicus in nosocomio, fana me: velut

Sol

Sol in cœlo, illumina me: velut Deus in templo, sanctifica me: ut perfectius cognoscam & diligam Te: ut sincerius & accuratius Tibi serviam, obediam & placeam. Oculi enim tui multò lucidiores sunt Sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & in omni loco contemplantur bonos & malos. Eccli. c.23. 28.

Petitio.

Deus immense, qui ubique es per essentiam, præsentiam & potentiam, Inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum: concede mihi, in præsentia & conspectu tuo ita perfectè ambulare, ut in charitate crescám, & omnium actionum mearum perfectione Tibi placeam.

Aspirationes.

I. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Psal. 15.

II. Magna nobis indita est necessitas justè, recteque vivendi, qui euncta facimus ante oculos Iudicis curia cernentis. S. August. solil. c.14.

III. Vivit Dominus, in cuius conspectu sto. 4. Reg. 3. 14. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus. Act. 17. 28. Quare in omni-

omnibus viis cogita illum, & ipse diriget gres-
sus tuos. Proverb. 3. 6.

PASSUS XXVIII.

Charitas Zeli Animarum.

TEXTUS.

Zelus domus tuæ comedit me.
Psal. 68. 10.

Cognitio.

Zelus est intensus justi, veri amatoris affectus, quo diligentissimè quærit honorem Dei, & proximorum salutem, & quidquid his duobus opponitur, fortiter constantérque repellit.

Hic autem zelus est ignitus amor DEI, desideriumque, ut is ab omnibus enixè ametur, honoretur, colatur, tam incensum, ut qui eo ardet, omnes eodem inflammare cupiat: & si Deum impunè injuriis lacefici animadvertat, ingemiscat; atque igne illo consumente, & intimè viscera depascente, planè contabescat.

Triplicis verò generis actiones sunt, quibus à zelatore zelus exerceatur. 1. Aliæ ad intellectum illustrandum valent: ut lectio,

M doctio,

264 SEMITĀ PERFECTIONIS.

doctio, scriptio, catechismus. 2. Aliæ ad voluntatem permovendam faciunt; ut concio, monitio, reprehensio, exemplum. 3. Aliæ, quibus divinæ virtutis vis obtinetur; ut oratio, corporis castigatio, virtutum adeptio, quæ instrumentum, ad animas Deo lucrandas, reddunt aptius.

Actus:

1. Meditari sæpe de præstantia & pretio animarum, aliisque huc facientia.
2. Orare ardenter pro salute animarum, & vehementer desiderare augmentum gloriæ Dei per illas.
3. Laborare strenuè pro gloria Dei, & lucro animarum; muniaque laboriosa ad id magis conducibilia, honorificis præferre.
4. Perfectionem propriam impensiùs curare, quam alienam; cum inde pendeat profectus aliorum: omnibusque exemplo sanctæ conversationis prælucere.
5. Opera quotidiana, & varias afflictiones corporis, pro Deo placando, & salute animarum offerre.
6. Rudes & imperitos Catechesi instruere, concionésque efficaces ac zelosas ad populuin habere.
7. Exhomologes libenter & assiduè excipere; infirmis & moribundis diligenter & constanter assistere: atque iniicorum reconciliationem procurare.

8. In ministeriis suis , pauperes divitibus, ignobiles nobilibus præponere , si id sit ad majus Dei obsequium.
9. Si laboribus nostris fructus non respondeat, dolere, & mœrere ; & non sine luctu , filios , id est fructum laborum suorum à Deo postulare.
10. Omnia commoda, sanitatem, & propriam vitam temporalem in præparatio- ne animi ; imò & ipso opere, si nimirum fuerit pro maiore Dei gloria , & anima- rum salute , profundere.

Dilectio.

Domine JESU Christe, qui ex zelo glo- riæ Patris , & pro salute animarum , de cœlo descendisti, ut genus humanum, velut ovem perditam quæreres , & in cœlum de- portares , cum propriæ vitæ tuæ dispendio: an non par est , ut zelum tuum, pro modo meo æmuler? I. Quid enim Tibi gratius potest accidere, quàm ut animæ, à Te tam caro redemptæ , ab exitio sempiterno libe- rentur ? II. Quid animâ , omnibus mundi thesauris excellentiore, nobilius ? III. An non tam grande vocationis meæ benefi- cium, & apostolici munera dignitas, zelum ejusmodi jure à me exigit ? IV. An non præmiorum cœlestium magnitudo invitat? An non animi gratitudo zelum requirit?

v. Imò an non proximus, quasi creditor,
titulo justitiae, zelum talem à me re-
poscit?

Petitio.

Domine JESU, zelator animarum ferventissime, qui pro gloria Patris & animarum salute, non dubitasti manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum: fac me, divitias, honores, voluptates, parentes, cognatos, amicos, valetudinem, famam, ac denique vitam ipsam glorie tuæ & animarum saluti postponere, & eandem ardentissimè pro viribus procurare.

Aspirationes.

I. Testis est mihi Deus, quomodo omnes vos cupiam in visceribus Iesu Christi; & hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet. Ad Phil. c. 1. 8.

II. Divinorum omnium divinissimum est cooperari in salutem animarum. S. Dionys. cœlest. Hierarch. c. 3.

III. Domine, da mihi animas. S. Franc. Xaverius.



PASSUS XXIX.

Gaudium Charitatis.

TEXTUS.

*Gaudete in Domino semper,
iterum dico, gaudete. Ad
Phil. c. 4. 4.*

Cognitio.

Gaudium est affectio animi, alicujus boni præsentis opinione concepta. Hac animi seu voluntatis affectione lætamur & exultamus de Dei in nobis præsentia, gaudemus de infinitis ejus perfectionibus; item de donis & bonis, quæ ad Dei gloriam, nobis & aliis, ab eo conferuntur. Habent quidem & impii gaudium suum; sed falsum ac malum, quia est de malo; at gaudium hoc spirituale non datur impiis, sed amicis; estque verum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, cuius comparatione, omnis alia jucunditas, mœror est; omnis suavitas dolor est; omne dulce amarum est; omne pulchrum fœdum est; omne denique, quod delectare potest, molestum.

M;

Aetus:

Actus:

1. Lætari de præsentia Dei , quæ est in omnibus rebus , præsertim in Ecclesia, quam regit.
2. Lætari de Incarnatione Filii Dei , & admirabili unione Verbi cum Humanitate, ejusdem exaltatione , sessione ad dextram Patris , & cultu ab omni creatura.
3. Lætari de reali ac vera præsentia Christi , per Eucharistiæ Sacramentum.
4. Gaudere de inspiratione Spiritus Sancti, quâ movernur ad existimandum , peccata nobis , per usum Sacramentorum, esse remissa.
5. Gaudere de præsentia Dei in nobis , & de eo , quòd per gratiam simus Filii Dei , & hæredes regni cœlestis.
6. Gaudere de promissa nobis beatitudine, & de spe , quòd aliquando eam accepturi simus.
7. Exultare de omnibus bonis , & perfectionibus Dei , tanquam de bonis amantissimi Patris nostri, qui nos fecit, & ex immensa dilectione in filios adoptavit.
8. Exultare de bonis proximorum , tanquam de bonis fratrum nostrorum , quos sicut nos ipsos diligimus.
9. Conari causas veri gaudii assequi; scilicet conscientiæ puritatem, Christi imitationem , & cum voluntate Divina conformitatem.

Di-

Dilectio.

Gaudens gaudebo in Domino , & exultabit anima mea in Deo meo , qui induit me vestimentis salutis , & indumento justitiae circumdedit me. Quasi sponsam decoravit me coronâ , & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Isai. c.61. 10. Gaudens gaudebo in Domino , ut gloriam ejus hac ratione promoteam : ut proximum lucrer & ædificem ; ut opera ipsi exhibita , gratiora reddam : hilarem enim datorem dilit Deus : ac denique ut ad perseverantiam me haec ratione disponam : cum nullum violentum sit perpetuum.

Petitio.

Fons omnis gaudii effusissime , Domine Deus meus , obsecro Te , ut quinos ex Te rivulos in animam meam derives , ex quibus vera lætitia scaturiat. Quales sunt : 1. Mentis puritas. 2. Animæ sanitas. 3. Spiritus libertas. 4. Cordis tranquillitas. 5. Perpetua cum voluntate Divina conformitas. His obtentis ; ingenti lætitia anima mea perfundetur.

Aspirationes.

1. Latamini in Domino , & exultare justi , & gloriamini omnes recti corde. Psal. 31. 11.

II. Pater misericordiarum, & DEVS
totius consolationis; redde mihi letitiam sa-
lutaris tui; ut qua spondes, diligendo per-
cipiam. S. Aug. Med. c. 2.

III. Tadeat me gaudere sine Te; & de-
lectet contristari pro Te. Sit mihi Nomen
tuum refocillatio; & memoria Tuâ consola-
rio S. Aug. Med. c. 7.

PASSUS XXX.

Pax Charitatis.

TEXTUS.

*Pacem meam do vobis, pacem
meam relinquo vobis.* Joan.
c. 14. 27.

Cognitio.

PAX est concordantium in bono animo-
rum, ordinata tranquillitas. Estque
triplex, cum DEO, cum proximo, cum
seipso. Pax cum Deo consistit in perfecta
voluntatis humanæ cum Divina, conser-
fatione. Pax cum proximo, in tranquilla
hominum inter se conversatione & coha-
bitione. Pax cum seipso, in omnimoda
vitiorum & passionum subjugatione.

Actus:

Actus:

1. Voluntati Dei se subjicere ; peccata vitare , in prosperis & adversis voluntati Divinæ acquiescere.
2. In rebus bonis , idem cum aliis sapere, dicere , judicare ; & in cibo , potu, veste, aliisque , se conformare.
3. Nulli , quærelæ aut turbationis ansam dare , carnem legi Dei repugnantem subjicere ; sensus , membra , interiora & exteriora secundùm rationem disponere.
4. Cogitationes , affectiones , voluntates, secundùm virtutem moderari , seipsum considerare, alios relinquere , propriam voluntatem , spiritum libertatis & placendi desiderium evellere.
5. Zizania , quæ absque tritici damno eradicari nequeunt , usque ad tempus messis patienter tolerare : quædam bona , non præcepta , ad cavendum aliorum scandolum , ad tempus omittere.
6. Ne ab aliorum dictis, factisve pax nostra pendeat , diligenter cavere.

Dilectio.

Cùm Salvator noster pacificos pronuntiet beatos , Deique filios ; quis pacem non querat & sectetur cum omnibus ? Quis

M , pacem

pacem non amet & colat, si fructus dulcissimos consideret ac degustet? Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est, quæ similitates tollit, bella compescit, iram comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari: hanc qui acceperit, teneat: qui perdiderit, repetat, qui amiserit, exquirat. S. Aug. de Verb. Domini.

Petitio.

Domine JESU, Princeps pacis, qui toties discipulis tuis pacem appræcatus es, dicens: Pax vobis; Dona nobis hanc pacem, pacem cum Deo, pacem cum proximo, pacem cum nobis ipsis. Et pax, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias nostras. Amen.

Aspirationes.

I. Pacem habete; & Deus pacis dilectionis erit vobiscum. 2. Corinth. 13. II.

II. O quam bonum & jucundum, habere fratres in unum; in unum cor, in unam animam; multa quidem corpora, sed non multa corda! S. Aug. in Psal. 132.

III. Pax Domini sit semper nobiscum!

PAS.

PASSUS XXXI.

Cognitio & Dilectio Chari-
tatis proximi.

TEXTUS.

*Hoc est præceptum meum, ut
diligatis invicem, sicut dilexi
vos. Joan. c. 15. 12.*

Cognitio.

Charitas proximi est virtus, quâ proxi-
mus, tam amicus, quam inimicus
propter Deum diligitur. Hac virtute dili-
git homo proximum sicut seipsum: id est,
in Deo, ad Deum, propter Deum; non ob
utilitatem, non ob aliam causam naturalem.
Sicut igitur homo sibi desiderat omne bo-
num, & fugit omne malum, ita faciat
proximo suo, in corpore & in anima, in
rebus & honore. Rationes ad hoc impel-
lentes sunt hæc: 1. Quia unum in cœlis Pa-
trem habemus; & unam Matrem sanctam
Ecclesiam. 2. Quia proximus est imago Dei,
æternæ beatitudinis capax. 3. Quia unus
corporis membra sumus, cuius Christus
Dominus est caput: & quod membris præ-

M 6 statur,

statur, capiti præstatur. 4. Christus omnes suo sanguine redemit, & pro omnibus mortuus est. 5. Omnes justi templum sunt Spiritus Sancti, in quo habitat.

Actus:

1. Affici erga omnes homines propter Deum.
2. Velle omnibus vera bona, æterna, & temporalia, & hæc quidem, in quantum ad æterna conducunt.
3. Bona hæc omnia pro viribus illis procurare, damna avertere.
4. Jucundam & gratam cum proximo conversationem instituere; quæ huic contraria sunt, vitare, qualia sunt contemptus, detractiones, mordacitates, obloquiones.
5. Perfectam cum proximis concordiam observare, idem volendo, idem nolendo, gaudendo cum gaudente, flendo cum flente.
6. Multas pro ipsis difficultates & labores suscipere; imò ipsam etiam, si charitas exigat, vitam pro eis ponere.

Dilectio.

O quis proximum suum non sincèrè diligat, cùm id adeò disertè Salvator noster mandet, ac præcipiat: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem?* Quis omnia ei

ei bona non faveat, cum hoc discipulatus Christi luculentum sit signum? In hoc cognoscet omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritu ad invicem. Quis omne bonum eis non procuret, cum id, quod minimis praestamus, sibi Christus praestitum reputet? O charitas patiens, charitas benigna, charitas non ambitiosa, non cogitans malum, posside me, rege me, accende, ut maneam in Deo, & Deus in me sine fine.

Petitio.

Domine IESU, Magister & exemplar charitatis, qui pro amicis, imò & inimicis tuis animam posuisti; da mihi charitatem tuæ haud absimilem, quæ sit gratuita, pura, recta, discreta, vehemens & fructuosa: ut proximos meos, non tantùm verbo & lingua, sed opere & veritate diligam, atque ita tuus evadam discipulus.

Aspiraciones.

I. Qui non diligit fratrem, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo diligere poterit? I. Joan. c. 4. 20.

II. O quam bonum, habitare fratres in unum! Nihil auditur dulcius, nihil optatur delectabilius: nec utilius possidetur. S. Aug. in Psal. 131.

III. O diligam proximum sicut me ipsum ! imo plus quam me ipsum , sicut Christus dilexit me , plus quam seipsum!

PASSUS XXXII.

Misericordia & Eleemosyna
Charitatis.

TEXTUS.

*Estote misericordes, sicut Pater
vester cœlestis misericors est.
Lucæ c. 6. 36.*

Cognitio.

Misericordia est virtus , quâ dolemus & tristamur de miseria proximi; quam si commodè possimus , à fratre depellimus; & ei per auxilium spirituale vel temporale subvenimus. S. Gregor. in Lib. de Beat. Misericordes Christus beatos pronuntiat, Matth. c. 5. Misericordiam suadet Tobias Filio. Tob. c. 4. 8. S. Jacobus judicium sine misericordia , minatur illi , qui non fecit misericordiam. C. 2. 13.

Actus:

i. Exercere septem opera misericordiae cor-
poz

poralia: Esurientes pascere, potum dare
sipientibus, nudos vestire, mortuos sepe-
lire, &c.

2. Exercere septem opera misericordiæ spi-
ritualia, qualia sunt: Dubitantibus rectè
consulere, consolari moestos, ferre pa-
tienter injuriam, offensam remittere, &c.

Dilectio.

Quâ ratione, mi Redemptor, miseri-
cordiam non diligam, aut eandem negli-
gam: quando Tu in supremo judicii die
immisericordes damnationis æternæ fulmi-
ne series? Si mortem malam effugere cu-
pio, eleemosyna ab ea liberat: si magnum
in cœlo præmium reportare desidero, mi-
sericordia, etiam calicem aquæ frigidæ
danti, illud procurat. Denique si orationi
efficaciam, Dei benedictionem, prædesti-
nationis signum, scutum contra sententiam
summi Judicis, exopto; illa omnia adferet
misericordia.

Petitio.

Deus meus, misericordia mea, oro Te per
dilectum Filium tuum, da mihi misericordia
opera, pietatis studia, compati afflictis, con-
sulere erroneis, subvenire egenis, succurrere
miseris. S. Aug. Med. c. i.

Aſpi-

Aspirationes.

I. Beatus, qui intelligit super egenum
& pauperem; in die mala liberabit eum
Dominus. Psal. 40. 1.

II. Eleemosyna virtus, peccatores justifi-
cat, justos glorificat, mortuos suscitat, im-
mortalitatem mortalibus donat. S. Chrysost.
hom. de 7. pan.

III. Da mihi, Domine, cor benignum
& misericors; sicut Tu Pater noster mis-
ericors es!

PASSUS XXXIII.

Beneficentia Charitatis.

TEXTUS.

*Beneficentiae & communionis
nolite oblivisci; talibus enim
hostiis promeretur DEUS.*
Hebr. c. 13. 16.

Cognitio.

Beneficentia est virtus, a secum volun-
tatis cum opere conjungens: quâ propter
Deum, omnibus, quibus possumus, bene-
ficia

ficia præstamus. Hæc virtus est Divina; Deus enim nunquam cessat nobis benefacere: & Beatus est dare, quæm accipere. Act. c. 20. 35. Hæc virtus provocat Deum ad vicissim largiter dandum, magnaque sibi in cælo præmia comparat.

Actus:

1. Conferre beneficia temporalia & spiritualia, consilia, exempla, doctrinam; & quidem libenter ac hilariter.
2. Dare, si petatur; vel etiam si non petatur, imò ingerere; etiam ignorantibus, & de nobis nil cogitantibus.
3. Pro utilitate proximi temporali aliquam molestiam subire, pro spirituali salute etiam vitam temporalem periculo exponere.
4. Pro benefactis, nullam laudem, vel gratitudinem, vel compensationem expectare; sed solam Dei approbationem. Denique ita dare, sicut vellimus accipere.

Dilectio.

Quem ad beneficentiaz singularem amorem non moveat infinita & continua Dei beneficentia, omni die, horâ, momento, tot tantisque beneficiis nos obruentis, & Solem suum oriri facientis super bonos &

ma-

280 SEMITA PERFECTIONIS.

malos? Quem non flectat beneficentia & exemplum Christi Domini, qui pertransibat beneficiendo omnibus? Quem non incitet exemplum sanctorum Angelorum, Solis, Lunæ, aëris, aquæ, ignis, terræ, arborum, fructuum, aliarumque rerum creatarum, quæ indesinenter nobis beneficiunt.

Petitio.

Domine JESU, omnis beneficentiae prototypon, & Magister, qui pertransisti beneficiando, & sanando omnes oppressos à diabolo; concede mihi, obsecro, eximia beneficentiae virtutem; ut Te imitari, Tibique unicè placere valeam.

Aspirationes.

I. Date, & dabitur vobis. Lucæ c. 6. 38.
Et qui tribuit in simplicitate. Rom. 12. 8. Et
in hilaritate.

II. Nunquam est vacua manus à munere,
si arca cordis repleta sit bona volentate. S.
Gregor. L. 19. moral.

III. Da mihi, Domine, affectum cum
effectu conjungere, & aliis libenter bene-
facere. Nihil enim tam divinum habet
homo, quam de aliis benè
mereri.

PAS-

PASSUS XXXIV.

Unio Charitatis cum Deo.

TEXTUS.

*Qui adhæret Domino , unus
spiritus est. 1. Corinth. 6. 17.*

Cognitio.

TRIPLEM statuere possumus unionem cum Deo , unam communem multis, aliam paucis, tertiam paucissimis, eximiaeque contemplationis dono præditis.

Prima convenit omnibus justis , gratiâ Dei præditis , & charitate ornatis, ac nullo lethali peccato à Deo divisis ; atque haec competit multis. De qua loquitur S. Ioannes : *Qui manet in charitate, in Deo manet,* Et Deus in eo. 1. c. 4. 16.

Secunda unio convenit paucioribus, illis scilicet , qui magno fervore viam perfectionis decurrunt ; nec solùm mandata Dei observant , & peccata mortalia fugiunt; verum etiam venialia delicta pro viribus declinant ; in præsentia Dei ambulant, sæpe de Deo cogitant , & per aspirationes amorosas, ad Deum se erigunt , libenter

de

de Deo & cum Deo loquuntur, in omnium virtutum studium sedulo incumbunt, opera sua ad ejus gloriam dirigunt ; voluntatem suam cum ejus voluntate in prosperis & adversis conformant : atque ita per cognitionem & amorem, per locutionem & operationem cum Deo uniuntur.

Tertia unio est perfectissimorum & contemplativorum propria : estque unio felicissima, arcana, inexpertis impervia, & difficilis explicatu ; Theologiæ mysticæ meta, & sapientiæ hujus medulla ; quam ut ruditer saltem intelligamus, videamus
 1. Quid non sit. 2. Quid sit. 3. Quæ ejus causa. 4. Qua ratione fiat. 5. Quinam efficiens ex ea sequantur.

1. Unio hæc, altæ contemplationis dono præditorum, non est unio localis, sive præsentiaz, quâ Deus ubique est, & resonans in ejus immensitate versantur : hæc enim unio convenit etiam rebus inanimatis ; nec est unio per gratiam sanctificatam, quâ anima gratiæ & amicitiæ Divinæ restituitur : quia hæc convenit omnibus justis, & pueris ante usum rationis ; nec est unio per charitatem, quia hæc convenit omnibus Deum diligentibus, sed dono contemplationis, & mystica unione parentibus.

2. Quid igitur est, hæc amabilissima &

& optatissima unio, triplicis viæ perfectio-
nis ultimus scopus & meta? Respondeo:
Unio hac (quæ est effectus ardoris amoris)
est virium animæ cum Deo amorosa & per-
fecta conjunctio: hujus enim intuitu, unio-
nes aliæ antedictæ, inchoatæ solum & im-
perfectæ merito æstimantur.

3. Causa illius est amor intensus, & fla-
grans, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 27. Amor
enim, ait, primùm importat quandam unio-
nem, secundum affectum amantis ad ama-
tum; in quantum amans estimat amatum,
quodam modo ut unum sibi, vel ad se perti-
nens, & sic movetur in ipsum, ut se ei
uniat. Consentit S. Augustinus, qui amo-
rem vocat, juncturam quandam, qua
amanter cum amato copulat, affectu ipso,
vel re ipsa copulari appetit. Mox verò id
amplius declarans, addit: Ad affectum
dilectionis Dei pertinet, ut hominem in illum
trabat, ei unitat, ac veluti commisceat, sic
ut unum quid cum eo efficiatur; quod cùm
verè fieri nequeat, saltem cupit, quantum
potest, præsens illi, & omnibus bonis ejus
adesse, cum eo colloqui, eaque saltem ratio-
ne, unionem perficiere. Declarari id quo-
dammodo potest rerum naturalium simili-
tudine; amor enim sicut calor congregat
homogenea, & ab heterogeneis segregat:
id est, separat terrestre & animale à spiri-
tuali;

tuali ; seu sensualitatem à spiritualitate , & hanc unit cum Deo , separans pretiosum à vili , facitque divisionem moralem spiritus & animæ , dum spiritus depuratus & defecatus.

4. Ipsa autem unio sit , in fundo seu intimo animæ , quando Deus clarissimâ luce se illi præsentem , & eam intuentem , ac tenerrimè diligentem ostendit. Deinde *memoria* ipsius animæ huic DEO sic sibi manifestato tenacissimè adhæret , ita ut unione durante ab eo avelli nequeat. *Intellectus* verò eum clarissimâ luce sapientiæ inspicit ; & vel ut quoddam totum , in quo est omne bonum ; vel secundum aliquam , aut alias perfectiones intelligit ; ita ut ab eo in aliquid aliud diverti nequeat. *Voluntas* autem eum ardentissimo amore constringit , qui instar ignis erumpens omnia videtur absumere ; ita ut anima jam non in se vivat , neque actionibus naturilibus intendat , sed in eum dulcissimum Sponsum toto affectu transeat , à quo arctissimo est apprehensa complexu. *Potentia* quoque cæteræ adjuvant , & unionem cum Deo non impediunt : *phantasia* Deum imaginando , *appetitus* concupiscibilis & irascibilis , tranquillè se gerendo & conspirando ; *sensibus* etiam à terrenis sese abstractentibus , ac de bono & quiete animæ gaudentibus.

Di-

Dilectio.

O dulcissime & dilectissime animæ meæ Sponse, JESU Christe! quando amorosâ & perfectâ unione hâc dignus ero? Quando in veritate dicere potero: *Dilectus mihi*, & *ego illi?* Quando anima mea à terrenis avulsa, tota in Te abripietur, & admirandos hujus unionis effectus experietur? I. Ut osculo à Te accepto, anima mea attacta cœlesti quadam, & nullis verbis explicabili dulcedine perfundatur. II. Pars inferior animæ remaneat blandissima, & mirâ teneritudine repleta, in dulces resolvatur lacrymas, & cœlestium desiderio urgeatur. III. Anima quoque indicibili pace repleatur, quam nullus eventus turbet, nihil adversum obnubilet, immo ad adversa, & difficultia roboretur. IV. Ingenti zelo ac desiderio salutis animarum accendatur. V. Humilitate profundissimâ perficiatur. VI. Carnem desideret deserere, cupiatque dissolvi, & esse cum Christo, ut ad omnium perfectissimam unionem in cœlo perveniat.

Petitio.

Domine JESU, in Semita Perfectionis triplici Ductor & Doctor excellentissime! Efficacis gratiæ tue auxilio potenter nos

nos adjuva ; ut I. Viam Purgativam feliciter decurramus, & vitia cuncta strenue mortificemus. II. Ut Viam Illuminativam, Viam Virtutum generosè absolvamus, omniaque virtutum cimelia acquiramus. III. Ut Viam Tertiam Unitivam ita perambulemus , ut obtentâ charitate perfecte, intimè Tibi uniamur. Amen.

Aspirationes.

I. *Mibi adhærere DEO bonum est.* Psal. 72. 27.

II. *Domine , da cor , quod Te cogitet, animum , qui Te diligit , mentem , qua Te recolat , intellectum , qui Te intelligat , rationem , qua Tibi semper summè delectabili fortiter inkareat.* S. Aug. soliloq. c. i.

III. *O Anima meæ animæ ! O Vita meæ vitæ , DEUS meus ! Te solum diligo , me totum Tibi offero , Tibique intimè adhærere , & uniri desidero ! Ad laudem & gloriam tuam sempiternam.*

Amen.



EPI-

EPILOGUS ET CLAUSULA

Ad Lectorem Benevolum.

HAbes, Lector Benevole, Libellum, Perfectionis Semitam, quasi digito, tibi demonstrantem; ac tum pro intelligentia & cognitione, tum pro affectu & dilectione, tum pro exercitatione & praxi servientem: utere secundūm methodum in Præfatione insinuatam. Et quidem I. Ante omnia, ope Examinis Particularis, vitia & passiones, tanquam zizania ac spinas, gladio mortificationis reseca: ut Viām Purgativam, absque offendiculo, perambules. II. Virtutum pulcherrimarum studio & exercitio te totum consecra, iisque tanquam floribus speciosis ac fragrantibus te exorna, ut Christo Domino similior evadas & gravior, Viāmque Illuminativam alacriter decurras. III. Denique in cognitione & amore DEI strenue & indefessè te exerce; auspicando à cognitione DEI, legendo, meditando, ruminando ejus magnalia, sapientiamque cœlestem flagitando; dilectionis enim defectus, ut sāpe

N me-


meminimus, ex defectu cognitionis nasci-
tur; Ideo Te non diligit anima mea, quia
Te non cognoscit, ait, DEUM alloquens,
sanctorum Doctorum Aquila, Augustinus,
in soliloq. c. i. Deinde actus internos &
externos charitatis DEI & proximi cre-
brius eliciendo. Nec contentus esto com-
muni seu vulgari charitate, sed ad subli-
mem & eminentem aspira; quo DEUM
degustare, eodem frui, & intimâ ac per-
fectâ unione cum eo conjungi valeas; tan-
démque post breve vitæ hujus mortalis
curriculum, in virtutum & charitatis exer-
cicio peractum, ad optatissimam, beatissi-
mam & perfectissimam cum Deo unio-
nem in cœlis pertingere mereare. Quod
tibi mihique Deus Pater, Dator & Pater
luminum, Filius, Ductor, Doctorque
virtutum, Spiritus Sanctus, charitatis,
sanctitatis & unionis Author, Fautor-
que, benignè elargiatur.

Amen.



IN-

:(o):



INDEX PASSUUM Semitæ Purgativæ.

1. Passus. Desiderium Perfectionis.	
	Pag. 17
2. Mortificatio peccati mortalis.	19
3. Mortificatio peccati venialis.	22
4. Mortificatio Visūs.	26
5. Mortificatio Gustūs.	29
6. Mortificatio Auditūs.	31
7. Mortificatio Odoratūs.	34
8. Mortificatio Tactūs.	36
9. Mortificatio Membrorum.	38
10. Mortificatio abusūs nominis DEI.	40
11. Mortificatio mendacii.	42
12. Mortificatio consuetudinis jurandi.	44
13. Mortificatio detractionis.	47
	N. 14.

I N D E X.

14. Mortificatio aliorum vitiorum linguæ.	Pag. 49
15. Mortificatio superbiæ.	51
16. Mortificatio vanæ gloriæ.	54
17. Mortificatio avaritiæ.	57
18. Mortificatio luxuriæ.	60
19. Mortificatio invidiæ.	63
20. Mortificatio gulæ.	65
21. Mortificatio iræ.	67
22. Mortificatio acediæ.	69
23. Mortificatio phantasiæ.	72
24. Mortificatio passionum.	74
25. Mortificatio amoris proprii.	77
26. Mortificatio intellectûs.	80
27. Mortificatio voluntatis.	82

INDEX PASSUUM

Semitæ Illuminativæ.

1. Passus. Desiderium Virtutum.	88
2. Fides.	90
3. Spes.	93
4. Dissidentia sui.	96

s. Fi-

I N D E X.

5. Fiducia in Deum.	Pag. 99
6. Timor Domini,	102
7. Prudentia.	105
8. Discretio.	107
9. Justitia.	110
10. Religio.	113
11. Pœnitentia.	116
12. Pietas erga parentes.	118
13. Obedientia.	121
14. Gratitudo.	124
15. Veritas.	127
16. Simplicitas.	129
17. Amicitia.	132
18. Liberalitas.	134
19. Fortitudo.	137
20. Patientia.	139
21. Perseverantia.	142
22. Temperantia.	145
23. Abstinentia.	148
24. Sobrietas.	151
25. Jejunium.	154
26. Castitas.	156
27. Maceratio.	159
28. Mansuetudo.	161

INDEX.

29. Humilitas.	PAG. 164
30. Paupertas.	170
31. Studiositas.	173
32. Taciturnitas.	176
33. Modestia.	179

INDEX PASSUUM Semitæ Unitivæ.

1. Passus. Cognitio propriæ cœ- citatis.	185
2. Desiderium cognoscendi Deum.	187
3. Cognitio & amor Divini- tatis.	189
4. Cognitio & amor SS. Tri- nitatis.	192
5. Cognitio & amor æterni- tatis Dei.	196
6. Cognitio & amor infinita- tis.	198
7. Cognitio & amor omni- potentiaz.	201
	8 Co-

I N D E X.

- | | |
|------------------------------|----------|
| 8. Cognitio & amor sapien- | |
| tiæ. | Pag. 204 |
| 9. Cognitio & amor bonita- | |
| tis. | 206 |
| 10. Cognitio & amor dulce- | |
| dinis. | 209 |
| 11. Cognitio & amor pulchri- | |
| tudinis. | 212 |
| 12. Cognitio & amor sancti- | |
| tatis. | 215 |
| 13. Cognitio & amor aliorum | |
| attributorum. | 217 |
| 14. Cognitio & amor officio- | |
| rum Dei. | 219 |
| 15. Cognitio & amor D. Il. | |
| JESU Christi. | 223 |
| 16. Cognitio & amor Incar- | |
| nationis. | 226 |
| 17. Cognitio & amor Passio- | |
| nis. | 229 |
| 18. Cognitio & amor S. Sa- | |
| cramenti. | 231 |
| 19. Cognitio & amor benefi- | |
| ciorum DEI. | 234 |

I N D E X.

20. Cognitio & amor charita-	
tis.	Pag. 238
21. Charitas cordis.	241
22. Charitas oris.	245
23. Charitas operis.	248
24. Charitas in mandatorum observatione.	250
25. Charitas in temporis ac- curatione.	253
26. Charitas in voluntatis re- signatione.	256
27. Charitas in præsentia Dei.	260
28. Charitas zeli animarum.	263
29. Gaudium charitatis.	267
30. Pax Charitaris.	270
31. Charitas proximi.	273
32. Misericordia charitatis.	276
33. Beneficentia charitatis.	278
34. Unio charitatis cum DEO.	281

PRI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

EGO infra scriptus Societatis JESU,
per Provinciam Rheni Inferioris
Præpositus Provincialis, potestate mihi
facta à Patre Nostro Thyrso Gonzales
Præposito Generali, Facultatem con-
cedo SERVATIO NOETHEN, Biblio-
polæ Coloniensi, ad decem annos Typis
edendi Librum, Latino, & Germanico
idiomate, cui titulus: SEMITA
PERFECTIONIS, ex Sacra
Scriptura, sanctis Patribus, & Pro-
batissimis Authoribus à me collectum,
atque à deputatis ad id Censoribus le-
ctum, & approbatum.

Eidemque SERVATIO NOETHEN
Jus Cesarei Privilegij usurpandi ad de-
cennium eatenus impertior, ut ipso
invito, nemo Librum hunc recudere,
nec in parte, nec in toto, neque
intra S. R. Imperij, & hæreditarias
Sacra Cesarea Majestatis Provincias im-

por-


P R I V I L E G I U M.


*portare, aut venum exponere audet.
In cuius rei fidem hasce litteras ma-
nu propria, & consueto Officij Si-
gillo munitas dedi, Coloniae, 28. Aprilis,
1705.*


(L.S.)


Joannes Dirckinck.


F I N I S.











THE
32

Th
3240